New Test.

Caspar René Gregory:

Leipzig, 20 October 1876.

DISPUTATIO

DE

LOCIS EUANGELII IOHANNIS, IN QUIBUS IPSE AUCTOR VERBA IESU INTERPRETATUS EST.

DISPUTATIO

DE

LOCIS EUANGELII IOHANNIS, IN QUIBUS IPSE AUCTOR VERBA IESU INTERPRETATUS EST,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

THEODORI GUILIELMI IOHANNIS JUYNBOLL,

PHIL. THEOR. MAG., LITT. HUM. ET THEOL. DOCT., FAC. PHIL. THEOR. ET LITT. HUM. PROF. ORD. ET LEG. WARN. INTERPR.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

In Academia Lugduno-Batava

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTET

ELISA LAURILLARD,

Roterodamensis,

AD DIEM XIII M. IUNII A. MDCCCLIII, HORA II—III,

IN AUDITORIO MAIORI.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD P. ENGELS.

MDCCCLIII.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

Matri Carissimae.

PRAEFATIO.

Qui in eo sunt, ut conscribant disputationem Academicam, iis accidere solet, ut incerti aliquamdiu haereant, quodnam argumentum sibi sumant tractandum. Mihi quoque varia in mentem venerunt, donec tandem illud, quod nunc exposui, prae ceteris mihi arridebat. Animadverteram enim, de locis Euangelii IOHANNIS, *in quibus ipse auctor verba* IESU *interpretatus sit, Viros Doctos etiamnunc adeo inter se dissentire, ut, nova de iis disquisitione instituenda, fortasse operae pretium facturus mihi viderer.*

Putare nolo, litem a me diremtam esse; imo nullus dubito, quin labore meo mihi ipse multo fuerim utilior, quam me lectori fore praevideo. Nec sane opus omnibus numeris absolutum exspectari potest a iuvene, qui

primoribus tantum labris Theologiam gustaverit. Praeterea monere iuvabit, temporis spatium, ad disputationem scribendam mihi concessum, brevius fuisse, quam quod copiam praeberet, singula prouti vellem explorandi et pervestigandi.

Priusquam vero ad argumentum disputationis tractandum progrediar, iubet me animus dulcissimo perfungi officio.

Primo Tu mihi es compellandus, Clarissime VAN HENGEL, *Promotor aestumatissime! Non contigit mihi publica Tua institutione uti, quia rude donatus iam eras, quum ego curriculum studiorum Theologicorum ingrediebar; sed quanta privatae Tuae institutioni debeam, totus persentisco. Praesertim hisce diebus officia mihi praestitisti, quorum memoria meo in animo numquam delebitur. Tu, sola benevolentia ductus, Promotoris partes suscipere haud recusabas. Tu nec tempori, nec labori parcebas, ubi sperabas Te mihi profuturum. Tua prudentia, tam in augendis, quam in corrigendis quae scripsissem, eximie me adiutum esse profiteor. Sane non est ex more vulgari, sed ex intimis animi sensibus, si nunquam Tuorum erga me beneficiorum obliturum me dico. Si quem alium, me certe docuit experientia, Te,*

quamquam otio honorifico fruentem, Academiae alumnis insigniter prodesse pergere. Deum precor O. M., ut diu Tibi servet quietam istam senectutem, Theologiae, Ecclesiae, Academiae Lugduno-Batavae utilissimam.

Non possum, quin Vobis quoque, Viri Clarissimi KIST *et* SCHOLTEN! *observantiam meam gratumque animum testificer. Optimos me vos in studiis Theologicis habuisse duces, laetus profiteor et usque profitebor. Quot quantaque Vestrae institutioni Vestrisque consiliis, quin etiam familiari Vestrae consuetudini accepta referenda habeam, oblivioni nunquam daturus sum. Nunc gratias Vobis publice ago quam maximas. Utinam, adiuvante Deo, talem postea me praestem Sacrorum Antistitem, qualem se praestare Vestrum discipulum decet.*

Et Te silentio praeterire religio mihi est, Clarissime IUYNBOLL! *quem per quinque fere, quos hac in Academia degi annos, praeceptorem, quin etiam amicum me habuisse, summopere gaudeo. Literarum Orientalium, in quibus habitas, vehementi amore me imbuisti, meque ad eas cognoscendas egregie adiuvisti. Quamquam Theologiae me dicavi, tamen, ut Tuam institutionem semper recorder, uberrimi efficient fructus, quos inde percepi et postea percepturus sum. Nec meo in animo multorum, quae in me contulisti, beneficiorum, memoria unquam oblite-*

rabitur. — Vos vero omnes, Praeceptores aestumatissimi! Viri Clarissimi! gratias accipite sinceras pro omnibus bonis et commodis, quae Vestra ex disciplina in me redundarunt.

Denique Vobis, Commilitones, valedico. Eheu! fugaces labuntur anni, et iam optato citius instat tempus, quo Vestra illa ex consuetudine avocabor, in qua iucundissimos vixi dies. At familiaritatis amicitiaeque Vestrae semper grata mihi erit recordatio. Felices Vos estote meique memores, quem Vestri immemorem deprehendetis nunquam.

IOH. II. 21, 22.

Ἐκεῖνος δὲ ἔλεγε περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ. Ὅτε οὖν ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν, ἐμνήσθησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὅτι τοῦτο ἔλεγε, καὶ ἐπίστευσαν τῇ γραφῇ καὶ τῷ λόγῳ ᾧ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς.

Notum est Viros Doctos, qui hunc locum considerarunt, in duas potissimum partes abire. Veteres enim, uti et KUINOELIUS [1]), THOLUCKIUS [2]), MEYERUS [3]), HILGENFELDUS [4]), alii, statuunt hîc ab auctore recte explicari IESU dictum, v. 19: λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν; sed longe plurimi recentiores: HENKIUS [5]), PAULUS [6]), LÜCKIUS [7]), BLEE-

---

1) *Comm. in Ev. Joh.* 3 Ausg. 1826.

2) *Comm. z. Ev. Joh.* 6 Ausg. 1841.

3) *Krit.-exeget. Commentar über das N. T.* Zweite Abth. 1834.

4) *Das Ev. u. d. Brr. Joh.* 1849.

5) *Ioannes Apostolus nonnullorum Iesu apophthegmatum in euangelio suo et ipse interpres.* 1798. Iterum in POTT. *Sylloge Comment. Theologic.*, Vol. I. p. 8 sqq.

6) *Comm. über d. N. T.* IV. Th. 1 Abth.

7) *Comm. über das Evang. des Johannes.* 3 Aufl.

KIUS [1]), SCHWEIZERUS [2]), BAUMGARTEN-CRUSIUS [3]), WETTIUS [4]), praeeunte HERDERO [5]), hoc negant contenduntque IESUM non de morte sua ac reditu in vitam loqui, verum significare se novam religionem conditurum, loco antiquae illius Theocratiae, cuius sedes quasi et meditullium sit Templum Hierosolymitanum. Cum his ut faciam gravissima me movent argumenta.

1. Omnis hominis, ubi loquitur, primum sane est consilium, ut intelligatur. Iam IESUM nobis proponamus in templi a se purgati atrio versantem et postquam de hoc templo iam locutus sit (v. 16), ibi dicentem: *λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον.* Quis tandem auditorum hoc dictum alio referre *potuit*, quam ad aedem Hierosolymitanam [6]). Ille vero, si *corpus* suum spectabat, id omnino egisse videtur, ut ab auditoribus

---

[1]) *St. u. Krit.* 1833. S. 442 ff. *Beitr. zur Evangelien-Kritik.* S. 226 ff.

[2]) *Das Evangelium Johannes, nach seinem innern Werthe und seiner Bedeutung für das Leben Jesu, kritisch untersucht.* 1841.

[3]) *Theol. Ausl. d. Joh. Schrr.* 1843.

[4]) *Kurzgef. Exeg. Handb. zum N. T.* von Dr. W. M. L. DE WETTE. I B. 3 Th. Evang. und Briefe Joh. 4e Aufl. bearbeitet von Dr. B. B. BRÜCKNER.

[5]) *Von Gottes Sohn, der Welt Heiland.*

[6]) Abs re igitur habenda est annotatio BRÜCKNERI, l. c. p. 50, secundum Euangelium IOHANNIS saepe factum esse, ut auditores verbis IESU sensum alienum *studiose* affingerent.

non intelligeretur. Sunt qui cum LUD. CAPPELLO [1]) putent, eum digito corpus suum monstrasse, sed temere; si enim IESUS tale mentis suae indicium dedisset, Iudaei non potuissent dictum eius ad Templi aedificium referre, neque mens eius discipulos latuisset. Nimirum e narratione IOHANNIS (v. 22) colligere possumus, eos demum post IESU reditum in vitam Magistri verba ita interpretatos esse. Si fortasse quis ait, IESUM alibi quoque obscure loqui, est mihi quod respondeam. Verba enim, quae *ipsa* habent obscuritatem, ab iis distinguenda sunt, quae certo aliquo tempore certis auditoribus fuerunt obscura. At dictum IESU, de quo nunc disputamus, *a nullo* prorsus auditore, sive nunc seu postea, intelligi *potuit,* si referri debet ad corpus, postea demum morti traditum et in vitam revocatum. Minus recte BRÜCKNERUS, contendens hoc de aliis quoque IESU verbis valere [2]), provocat ad ea quae leguntur Cap. VI. 51 sqq., nam hic locus alius est generis, quam locus in quo considerando nunc versamur. Ibi enim omnis oratio contexta verbis figu-

---

[1]) In *Bibl. Crit.* ad. h. l.

[2]) Dass auch andere Aussprüche Iesu, nach Ioh. unter dieselbe Kategorie (des *absolut unverständlichen*) fallen. L. c. p. 51.

ratam notionem tribui iubet [1]), hîc vero omnia suadent ut dictum, quod figurate scilicet esset accipiendum, propie intelligatur.

2. Secundum interpretationem Euangelistae verba *ἐγερῶ αὐτόν* idem significant h. l. atque *ἐγερῶ τὸ σῶμά μου*, quod si urgemus, sequitur inde, IESUM dici sui reditus in vitam ipsum auctorem, id quod plane abhorret ab aliorum locorum doctrina; Deum IESUM ex morte in vitam revocasse. Cf. *Act.* III. 15. IV. 10. V. 30. X. 40. XIII. 30, 37. *Rom.* IV. 24. VIII. 11. X. 9. 1 *Cor.* VI. 14. 2 *Cor.* IV. 14. *Gal.* I. 1. *Eph.* I. 21. *Col.* II. 12. 1 *Thess.* I. 10. 1 *Petr.* I. 21. Ipse IOHANNES, morem consuetum secutus, v. 22 verbi forma Passiva utitur, scribens: *ὅτε οὖν ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν.* Nempe minus verbum *ἐγερῶ*, quam praecedentia: *τὸν ναὸν τοῦτον* ante oculos habuisse censendus est.

Contrariam in partem disputandi copiam praebere videtur Cap. X. 18, ubi IESUS ait: *ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι τὴν ψυχὴν καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν.* Difficillimum hunc locum explicare non conabor. Unum tamen, quod nunc etiam sat mihi est, affirmare ausim, eum ad IESU in vitam reditum referri non

[1]) Cf. LÜCKE ad h. l. DE WETTE l. c. p. 117.

posse. Iam statim in oculos incurrit discrimen hunc locum inter atque alios omnes, in quibus IESUS reditum suum in vitam memorat. Nulla enim hîc invenitur temporis notatio, de necis auctoribus mentio fit nulla. Praeterea in dicto illo nihil inest quod suadeat, ut praedictionem agnoscamus *certi alicuius facti*, neque contexta oratio commendat sententiam, IESUM reditum suum in vitam spectare. Opponit bonum pastorem, ad mortem usque fidum se praestantem, mercenario, periculis imminentibus, fugam capessenti; sed quid cum eo commune habeat reditus in vitam, haud facile quis intelliget. Verba *ἵνα πάλιν λάβω αὐτήν*, v. 17, quum e praecedentibus pendeant, causam proponere pergunt, cur Deus IESUM caritate prosecutus sit. Atqui hinc alienus est reditus eius in vitam; nam si IESUS animi sui magnitudinem conspicuam facere poterat vita sua deponenda, redeundo in vitam non item. Nec leve etiam sententiae, reditus in vitam hîc rationem habendam non esse, praesidium est in postremo membro: *ταύτην τὴν ἐντολὴν ἔλαβον παρὰ τοῦ Πατρός μου*. IESUM a Patre mandatum accepisse, ut mortem subire non recusaret, intelligimus omnes; sed eum mandatum accepisse, ut in vitam rediret, omnino absurdum est. Praeterea dubium non est,

quin voci ἐξουσία, utroque loco, eadem notio sit tribuenda: iam vero quum in altero loco ἐξουσία sit potestas moralis, in altero proponi nequit potestas naturalis.

3. Porro animadvertendum est, IESU reditum in vitam alibi semper dici factum μετὰ τρεῖς ἡμέρας [1]) vel τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ sive τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ [2]). Valde dubito etiam, num in illum reditum, uno puncto temporis effectum, quadrent verba ἐν τρισὶν ἡμέραις. Quod hodie initium capit et exacto trium dierum spatio ad finem perducitur, id demum dici potest fieri ἐν τρισὶν ἡμέραις [3]). Erit fortasse qui sic mihi occurrat, usum huius formulae, ad imaginem appositae, sed cum re significata non convenientis, inde explicandum esse, quod IESUS *figurate* locutus sit. Fieri hoc *potuisse* negare nolo, at fieri *debuisse* demonstrari nequit, eo minus quod IESUS alibi etiam in imaginibus proponendis liberius versatur [4]).

---

[1]) Cff. *Mtth.* XXVII. 63. *Mrc.* VIII. 31. IX. 31. X. 34.

[2]) Cff. *Mtth.* XVI. 21. XVII. 23. XX. 19. *Luc.* IX. 22. XVIII. 33. XXIV. 7, 46. *Act.* X. 40. 1 *Cor.* XV. 4.

[3]) Cf. XEN. *Anab.* IV. 8, 8. *Mem.* III. 13, 5. PLAT. *Phaedo* 58 b. HERODOT. I. 126. II. 29. Idem suadent formulae ἐν τούτῳ, ἐν ᾧ, ἐν οἷς. Cf. *Ioh.* V. 7. *Luc.* XIII. 1. THUC. VI. 5, 5. SOPH. *Trach.* 925. XEN. *Cyrop.* I. 3, 17. III. 2, 12. Vide etiam *Mtth.* XXVII. 40, *coll.* XXVI. 61. *Mrc.* XV. 29.

[4]) Cf. e. g. *Ioh.* XV. 1 sqq.

4. Ipsa oratio contexta nos impedit, quominus IESUM corpus suum indicare voluisse statuamus. Mercatura a IESU extra Templum relegata, stupefacti et indignati enm adeunt Iudaei rogantque: Quis tandem ius tibi fecit, ut ita Templi dominum te geras? Documentum ostende, quo probes, iure te hanc auctoritatem tibi sumere. Iam nulla est responsio: Ego, a vobis morti traditus, in vitam redibo; imo responsio requiritur, qua probet se, ut alibi [1]) legimus, *Templo maiorem esse.* Atqui eo inservire etiam potuerunt verba: *λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον* cet. si accipiuntur, ut supra monui. Documentum, inquit, rogatis, dabitur; etiamsi vos diruatis Templum, mihi potestas est illud rursus exaedificandi: qui templi conditor esse potest, ei profecto licet templi reformatorem se gerere. Similiter *Mtth.* XII. 8 IESUS Sabbathi dominum se dicit. Nequidquam obiicit BRÜCKNERUS [2]), desiderium *σημείου* expleri potuisse reditu IESU in vitam, sed nova religione condenda, re mere intelligibili, non item. *Mtth.* XII. 38 sqq. etiam quaerunt Iudaei *σημεῖον*, et ibi eodem modo a IESU

---

[1]) Cf. *Mtth.* XII. 6. In nostra causa fere perinde est legaturne *μείζων*, an vero *μεῖζον*. Cf. DE WETTE, ad h. l.

[2]) L. c. p. 51. Cf. LÜCKE, ad h. l. p. 494.

affertur, quod intelligibile est, nempe *τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ* [1]).

5. Neque hoc praetervidendum est, IESUM, verbis eius ad corpus relatis, iam ipsissimo vitae publicae initio [2]) mortis suae reditusque in vitam facere mentionem, quae apud Synopticos, et sine dubio multo probabilius, longe serius demum facta reperitur [3]). Praeterea sic, coram omnibus professus inducitur quod alibi tantummodo *discipulis* [4]), et electis quidem duodenis [5]) *secreto* tradidit [6]). Huic argumento non obstare *Caput* X. 18, apparet ex iis, quae supra hoc de loco disputavimus.

---

[1]) Versum 40 spurium esse mihi persuasit disputatio Cl. SCHOLTENII, *Bijdr. tot Bev. van Bijb. uitlegkunde.* T. IV. p. 36 sqq.

[2]) Si una tantum est assumenda templi purgatio, (ut mihi videtur), nullus dubito, quin ea cum IOHANNE et contra Synopticos referenda sit ad primum tempus vitae IESU publicae.

[3]) Annotat BRÜCKNERUS, IESUM *Ioh.* III. 14, 15 etiam indicare mortem suam; quod si verum est, vis argumenti, quo usus sum, quodammodo infringitur. Cf. BAUR. *Ueber die Comp. und den Charakter des Joh. Evangeliums*, in *Theol. Jahrb.* 1844. p. 73. Attamen num hic locus IESU mortem spectet, dubito propter ea, quae scripsit Cl. SCHOLTENIUS l. c. T. III. p. 111 sqq.

[4]) Cf. *Mtth.* XVI. 21. XVII. 9, 23. XXVI. 32. *Mrc.* VIII. 31. IX. 9, 31. XIV. 28. *Luc.* IX. 22.

[5]) Cf. *Mrc.* X. 32. *Luc.* XVIII. 31.

[6]) Cf. *Mtth.* XX. 17. Quaeri potest, quonam igitur respiciat *Mtth.* XXVII. 63. Certe non ad verba IESU *Ioh.* II. 19, quibus ipsi Iudaei eius reditum in vitam indicari non viderunt. Magis in censum veniret *Mtth.* XII. 39, nisi oratio ibi valde obscura esset.

6. Saepissime in N. T. invenitur vox *ναός*, quae tamen, ubinam figurate exstet, indicio esse solet ipsa contexta oratio vel unum alterumve, quod ei adiectum est [1]). Loco autem, de quo nunc agimus, nec tale quid adiectum est, neque contexta oratio suadet, sed potius dissuadet, ut figuratam notionem propriae praeferamus. Nihil moror contradictione BRÜCKNERI [2]), omnem definitionem sublaturam fuisse vocis ambiguitatem. Nimirum voci, hoc loco, revera ambiguitatem inesse, hoc ipsum est quod probari debeat. Equidem contra dictum IESU auditoribus, tam parum ambiguitatis habuisse puto, ut aliam notionem quam templi circumspicere non possent. Praeterea subdubito, an Iudaeis usitatum fuerit, imagine *templi* denotare *corpus humanum*. Quamquam enim corpus in scriptis Veterum passim cum *domo* [3]), frequentius etiam cum *tentorio* [4]) comparatur, tamen nusquam fere cum *templo*. Quod enim habet PHILO [5]), ubi corpus ab eo dicitur

---

1) Cf. *Ioh.* II. 21. 1 *Cor.* III. 16, 17. VI. 19. 2 *Cor.* VI. 16. *Eph.* II. 21. *Apoc.* XXI. 22. WINER. *Gr. des Neutest. Sprachidioms.* Ed. V. p. 422.

2) L. c. p. 50.

3) Cf. *Eccl.* XII. 3.

4) Cf. *Ies.* XXXVIII. 12. 2 *Petr.* I. 13, 14. 2 *Cor.* V. 1. *Lib. Sap.* IX. 15.

5) *De opificio mundi.* § 47.

οἶκός τις ἢ νεὼς ἱερὸς ψυχῆς λογικῆς, sententia est philosophi, non scriptoris popularis. Et comparatio hominis Christiani cum aede, quam Spiritus Sanctus inhabitet (1 *Cor*. VI. 19), plane alius est generis. Fortasse quis ait: Pondere caret omnis ratiocinatio, quum ipse IOHANNES scripserit: *ἐκεῖνος δὲ ἔλεγε περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ*. Atqui dicto ad IESU in vitam reditum relato, ante pedes erat conclusio, vocem *ναός* in illo significasse corpus Domini, etiamsi haec imago ceteroquin usitata non esset.

Ex iis quae dicta sunt sequi iam videtur IESUM effato illo non suam spectasse mortem reditumque in vitam. Sed nonnullae restant solvendae quaestiones, contradictiones refutandae.

1. Quaeritur num vocabulo *ναός* accommodata sint verba *λύειν* et *ἐγείρειν*, nisi sub illa imagine lateat notio *corporis*. Verum de altero non dubitabit, qui varios meminerit locos, ubi simplex *λύειν* exstat, uti *Eph*. II. 14: *τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας*; *Esdr*. I. 52: *ἔλυσαν τὰ τείχη Ἱερουσαλήμ* [1]): alterum satis

---

[1]) Cf. HOM. *Il*. XVI. 100. II. 118. *Od*. XIII. 388. XEN. *Anab*. II. 4, 17, et compositum *καταλύειν*: *Mtth*. XXVI. 61. XXVII. 40. *Mrc*. XIV. 58. XV. 29. *Act*. VI. 14. 2 *Cor*. V. 1. *Gal*. II. 18. Minus appositi sunt loci, quos excitavit GROTIUS, 2 *Petr*. III. 10, 12. 1 *Ioh*. III. 8, quippe in quibus de aedificiis sermo non est.

manifestum est ex responso Iudaeorum, qui, verum aedificium spectantes, verbo ἐγείρειν utuntur [1]).

2. Quaestio est, an verbis λύειν et ἐγείρειν idem non sit tribuendum obiectum, ita ut vox αὐτόν quoque, post ἐγερῶ, significet τὸν ναὸν τοῦτον, atque IESUS igitur se *eandem* Theocratiam restituturum dixerit, quam Iudaei sublaturi essent [2]). Sed ad hanc etiam quaestionem responsio facilis est. Quamquam enim utrumque verbum eodem referri debet, propterea tamen negari nequit, IESUM, quum verbis uteretur, quibus Graeca ἐγερῶ αὐτόν respondent, aliud templum quam Hierosolymitanum in mente habuisse. Ipsa verba hoc pati exemplo esse potest *Mtth.* X. 39 [3]), ubi dicitur: ὁ ἀπολέσας τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, εὑρήσει αὐτήν. Iam nemo sane improbabit annotationem WETTII, illud εὑρήσει αὐτήν sensum habere sublimiorem [4]). Haec autem annotatio in locum, de quo nunc disputamus, optime quadrat. Quod ubi negat MEYERUS [5]), audi-

---

[1]) Conferri possunt IOSEPH. *Ant.* XV. 12, 13, 14. LUCIAN. *auct. vit.* p. 356. CALLIM. *Ap.* 64. LUC. ALEX. 10. NIERMEYER, *Mag. v. Krit. en Exeget.* 1850. T. I. p. 237.

[2]) Sic STORR, in FLATT's *Magazin.* Pars IV. p. 199. Ann.

[3]) Cf. *Mtth.* XVI. 25.

[4]) *Nämlich, in der zweiten höhern Bedeutung.*

[5]) L. c. p. 43.

toribus talem sublimiorem vocis *ναός* sensum notum non fuisse contendens, immemor est accusationis falsorum testium, qui *ναὸν χειροποίητον* et *ἀχειροποίητον* inter se distinxerunt (*Mrc.* XIV. 58) [1]). Recte etiam monuit LÜCKIUS [2]), ex *Act.* VI. 12—14 effici posse, notionem *Templi diruendi* Iudaeis eandem fuisse atque *cultus Mosaïci abrogandi.* Nonne hoc idem etiam inde apparet, quod IESUM ob dictum illud criminati sunt Synedrio? Si non indicatum sensissent cultum Mosaicum abrogatum aliumque ei substitutum iri, sed tantummodo IESUM Aedem, sensu maxime proprio, diruturum et rursus exaedificaturum, verbis illis: *λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον*, cet. usi essent fortasse pro argumento IESUM mente captum esse [3]), non vero propterea IESUM accusavissent coram Synedrio.

3. Occurrunt etiam quaerendo, num verisimile sit, IESUM iam ab initio vitae suae publicae sibi proposuisse novae religionis formam, quam pro antiqua

---

1) Hic vero audire mihi videor admonitionem: Cave ne huic dicto sublimiorem, quam par est, sensum tribuas; nam templum *ἀχειροποίητον* itidem esse potest templum adspectabile, nec tamen manu humana, sed vi Divina confectum. Verum dubito, an cum hac admonitione conspirent alii loci. Cf. 2 *Cor.* V. 1. *Col.* II. 11. *Hebr.* IX. 11, 24.

2) Ad h. l. p. 497.

3) Cf. *Ioh.* X. 20.

Theocratia substituturus esset. More enim ei receptum erat instituta Mosaïca observare [1]), quin etiam totidem verbis dicebat consilium sibi non esse *καταλῦσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας, ἀλλὰ πληρῶσαι* [2]). Quod ad primam quaestionem attinet, mihi quidem multo verisimilius est, IESU iam tunc fuisse persuasionem se novae neque interiturae religionis fore auctorem, quam se a Iudaeis morti traditum in vitam rediturum [3]). Ab institutis autem Mosaïcis, quamquam ea observare solebat, plus semel tamen recessit [4]), et quod verba eius *Mtth.* V. 17—19 attinet, nihil habent difficultatis, quoniam IESUS dixit: *λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον* [5]), non vero *ἐγὼ λύσω τὸν ναὸν τοῦτον*, quod falsi testes ei affinxerunt [6]). Nec negligendum est, IESUM in Mo-

---

1) Cf. *Mtth.* VIII. 4.

2) Cf. *Mtth.* V. 17—19.

3) In memoriam revocetur sermo IESU cum muliere Samaritana.

4) Cf. *Mtth.* XII. 1 sqq.

5) De hoc Imperativo concedentis, cf. WIN. l. c. § 43. p. 360. Item Cl. v. HENGEL, *De betrekking van het gevoel* cet. p. 70, 71.

6) Prorsus a vero recedit ratiocinatio probata a BRÜCKNERO (l. c. p. 50): „War die Anklage bloss desswegen falsch, weil sie Jesu die Absicht diesen Tempel abzubrechen, was er hier dem Juden anheimstellt, beilegte, so wäre doch der Sinn des Ausspruchs Jesu von der falschen Zeugen richtig erfasst gewesen, und *sie konnten unmöglich falsch genannt werden.* Vielmehr ist gerade dieser Umstand geeignet die Ueberzeugung herbeizuführen, das auch bei den Synoptt. die Iohann. Auffassung herrschend war." Etiamsi enim optime intellexis-

saïsmo considerando, ut ita dicam, probe distinxisse inter nucleum et siliquam, i. e. inter genuinum veteris Instituti pretium et formam externam ad tempus ei indutam. Haec peritura erat, illud incolume remansurum, etiamsi neque Hierosolymis neque in monte Gerizim templum adesset [1]); hac abrogata illud plene et pulchre proditurum erat, et sic demum foret ut eventum sortiretur, quod dixisset verbis: *οὐκ ἦλθον καταλῦσαι ἀλλὰ πληρῶσαι* (*τὸν νόμον καὶ τοὺς προφήτας*) [2]).

4. At quomodo igitur intelligenda sunt verba *ἐν τρισὶν ἡμέραις*? Supra iam probare conatus sum, hanc formulam praesidio esse non posse iis, qui hunc locum ad IESU mortem reditumque in vitam referant. Iam numeros, et imprimis quidem numerum ternarium,

---

sent singula IESU verba, merito tamen *falsi* testes dicti sunt propterea, quod mutaverant illud *λύσατε* in *δύναμαι καταλῦσαι* vel *ἐγὼ καταλύσω*. Cf. *Mtth.* XXVI. 61. *Mrc.* XIV. 58. *Mtth.* XXVII. 40. *Mrc.* XV. 29.

1) Cf. *Joh.* IV. 21—24. *Mtth.* V. 20 sqq. XII. 1 sqq.

2) *Πληροῦν*, i. e. *explere*, ita ut omni desiderio satisfiat, et nihil amplius desit. Cf. *Mtth.* III. 15. *Mrc.* I. 15. *Luc.* VII. 1. *Ioh.* III. 29. VII. 8. XVI. 24. XVII. 13. Recte annotavit WETTIUS (l. c. p. 49): „Der jüd. und christl. Gottesdienst ist der Substanz nach Einer, et LÜCKIUS (l. c. p. 500): So zerstört er zwar, aber nur indem er bauet. Cf. REUSS. *Hist. de la Théol. Chr. au siècle Apostolique.* T. I. p. 177 sqq. SCHERER. *De l'Inspiration*, in opere: *Revue de Théologie et de Philosophie Chrétienne.* Vol. V. pars 3. pag. 159.

saepe non premendos esse, nemo est quin sciat [1]). Atque ita illud *ἐν τρισὶν ἡμέραις* non indicare videtur *triduum*, sed temporis spatium non definitum, at *breve* tamen, ut arguit ipse numerus *ternarius*, et adiunctum *ἡμέραις*, et tota oratio [2]). Quamquam autem frustra quaeruntur loci, ubi notio illa formulae *ἐν τρισὶν ἡμέραις* tribuenda sit, tamen non sine omni iure conferri vulgo iubent *Hos.* VI. 2: *ὑγιάσει ἡμᾶς μετὰ δύο ἡμέρας· ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ ἐξαναστησόμεθα*, uti et *Luc.* XIII. 32, 33: *ἰδοὺ ἐκβάλλω δαιμόνια καὶ ἰάσεις ἀποτελῶ σήμερον καὶ αὔριον, καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι· πλὴν δεῖ με σήμερον καὶ αὔριον καὶ τῇ ἐχομένῃ πορεύεσθαι* [3]). Sed quidquid huius rei est, etiamsi nulla probabilis huius formulae explicatio dari posset, haud scio an non propterea reiicienda esset interpretatio totius orationis supra proposita variisque argumentis commendata.

Adhuc superest ut ratio habeatur eorum, quae

---

1) Cf. WIN. *Realw.* II. 717. (*Zahlen*).

2) Iesum etiam in sermone cum muliere Samaritana iamiam instantis temporis facere mentionem (*ἔρχεται ὥρα καὶ νῦν ἐστίν*, IV. 23), dignum est quod animadvertatur.

3) Cf. etiam *Exod.* V. 8, 14. *Ruth.* II. 11. 1 *Sam.* IV. 7. 1 *Chron.* XI. 2. *Prov.* XXX. 15, 18. *Amos* I. 3, 6. *Jes. Sir.* XXV. 1, 2. *Luc.* XI. 5. XIII. 7. *Apoc.* VI. 6. HOM. *Il.* I. 213. V. 136, 436. VI. 435. XX. 165. THEOCR. *Idyll.* II. 43.

SCHWEIZERUS, locum IOHANNI abiudicans, in medium protulit [1]).

Nunquam, inquit, IOHANNES, ubi IESUM de morte sua, de triumpho, de reditu loquentem inducebat, in mente habuit adspectabilem eius in vitam reditum, sed multo sublimiorem sensum IESU verbis tribuit. Verum etiamsi hoc concedam, inde tamen sequi non video, annotationem, v. 21, 22, a IOHANNE proficisci non potuisse. Nimirum IESU in orationibus suis haud raro usitata fuerunt, quae *παράδοξα* dicuntur, et hoc quidem consilio ut auditores, verba eius proprie intelligi non posse sentientes, ad altiora cogitanda duceret. Ita hoc quoque loco egit. Rebus vero sub sensus cadentibus tam adstrictae fuerunt mentes et Iudaeorum et discipulorum, ut altius se duci non paterentur. Sed discipulos, postquam IESUS ex morte in vitam rediisset, dictum eius ad hunc reditum retulisse, non est quod valde miremur. Praeterea haud ita certum dici potest, quid alibi IOHANNES in mente habuerit, ubi verbis IESU explicationem suam non adiiceret. SCHWEIZERI argumentum mihi tum demum magni ponderis esse videretur, si adspectabilis IESU in vitam

---

[1]) L. c. p. 64, 65.

reditus in Euangelio IOHANNIS non commemoraretur. Non infitias ibo universe quartum Euangelium sublimiora quam cetera spirare, sed vereor ne hoc nimis urgeant, qui inde cogunt, IOHANNEM ubique mentem IESU omnino assecutum esse. Quî vero, inquit SCHWEIZERUS, IOHANNES communem discipulorum facere potuit sententiam, quae tantum sua erat? Meliorem sane interpretationem praebet narratio *Act.* VI. 14; deinde ipsi falsi testes *ναὸν ἀχειροποίητον* memorant [1]) et STEPHANUS figurata hac interpretatione utpote consueta omnibusque cognita utitur [2]). Sed huic disputationi opponere iuvabit quaestionem, num igitur verisimile sit, falsarium Euangelio affinxisse, quod historiae testimoniis aperte obloquatur. Mihi quidem ipsum illud quod legitur v. 22, manum auctoris magis quam alienam prodere videtur, quae satis habitura fuisset verba: *Ἐκεῖνος δὲ ἔλεγε περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ*. STEPHANUM quod attinet, perperam SCHWEIZERUS ad verba eius provocat; nam haec, quum non nitantur effato *Ioh.* II. 19, sed *Jes.* LXVI. 1, ad unum omnia bene se haberent, etiamsi IESUS nunquam illud: *λύσατε τὸν ναόν* cet. dixisset.

---

1) *Mrc.* XIV. 58.
2) *Act.* VII. 48 sq.

Quaeri potest etiam, cur *Ioh.* XX. 9 [1]) tantummodo ἡ γραφὴ memoretur, ὁ λόγος τοῦ Ἰησοῦ non item. Fortasse hoc psychologice ita est explicandum: IOHANNES et PETRUS sepulcro adstantes nondum recordabantur IESU dictum, sed effata tantum Vatum antiquorum [2]); postea IOHANNES, quum Euangelium suum conscribebat, sibi repraesentavit ea, quae ibi senserant. Hoc et accommodatum est verbis: ὅτε οὖν ἠγέρθη, v. 22, et convenit cum natura memoriae, quae non cuncta simul, sed aliud post alia repetere solet, et commendatur eo, quod veri simile est, effata Veteris Testamenti prius discipulis in mentem venisse, quam verbum aliquod IESU, ante tres fere iam annos auditum.

Quandoquidem autem disputando in quaestionem de huius loci authentia incidimus, breviter videamus, suadeatne stilus, ut manum alienam hîc agnoscamus. Vox ἐκεῖνος saepissime apud IOHANNEM, ut hoc loco, in initio sententiae posita est. Cf. V. 35. VIII. 44. IX. 9. X. 6. XI. 29. XVI. 14. XX 15. Formula λέγειν περί quoque IOHANNI usitata est, ut apparet I. 22. IX. 17. XI. 13. XIII. 18, 22, 24. Vocabulnm σῶμα

---

1) Cf. LÜCKE, ad h. l. p. 778 sqq.
2) Cf. e. g. *Act.* II. 24 sqq.

itidem passim exstat, quamquam oratio alibi sic comparata est, ut nihil aliud quam *cadaver* denotet. Coniuncta *ἐγερθῆναι ἐκ νεκρῶν* in Euangelio IOHANNIS non leguntur, nisi hîc et Cap. XXI. 14; se tamen offert forma Activa *ἐγείρειν ἐκ νεκρῶν*, XII. 1, 9, 17. De verbo *πιστεύειν* c. Dat. rei cf. V. 47. X. 38. Ἡ *γραφή* memoratur etiam VII. 38, 42. X. 35. XIII. 18, alibi; item *ὁ λόγος* Cap. IV. 37, 39, 41. VI. 60. XII. 48. Attractionis figura in Pronomine relativo cernitur etiam Cap. IV. 5, 14. XV. 20. XVII. 5. Particulae *ὅτε οὖν* compositae sunt IV. 45. XIII. 12. XIX. 6, 8, 30. Formula *οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ* quam plurimis locis exstat. Vocem *ναός* IOHANNI inusitatam non fuisse, apparet e versibus proxime praecedentibus. Verbum *ἐμνήσθησαν* legimus etiam II. 17. XII. 16. Itaque verborum usus neutiquam falsarium prodit.

Ioh. VI. 6.

Τοῦτο δὲ ἔλεγε πειράζων αὐτόν· αὐτὸς γὰρ ᾔδει τί ἔμελλε ποιεῖν.

Spectat haec IOHANNIS annotatio quaestionem, quam IESUS, quinque hominum millia mirifico modo satiaturus, discipulo PHILIPPO, v. 5, proposuit: *Πόθεν ἀγοράσωμεν ἄρτους ἵνα φάγωσιν οὗτοι.* Iam ante omnia hoc manifestum mihi videtur, IESUM haud magis voluisse ut hanc serio acciperent quaestionem, quam monitum quod alibi exstat: *Δότε αὐτοῖς ὑμεῖς φαγεῖν* [1]). Non tantum sibi suisque discipulis esse pecuniae, quantum ad panes tot millibus hominum emendos requireretur, probe sciebat, quare, Euangelistam sequens, IESU tribuo consilium PHILIPPI periclitandi. Sine dubio verum est quod notavit WETTIUS [2]), posci non potuisse a

1) *Mtth.* XIV. 16. *Mrc.* VI. 37. *Luc.* IX. 13.
2) Ad h. l. p. 106.

PHILIPPO, ut in spe esset, IESUM mirifica vi (*Wunderkraft*) opem laturum, antequam patuisset, eam prorsus necessariam esse. Atqui haec ipsa necessitas in aprico erat. Omnino igitur a PHILIPPO, qui miraculum Canae a Magistro suo patratum aliaque sine dubio adspexerat, exspectari potuit responsio, qualem dedit postea MARTHA [1]). Hanc autem responsionem non dedit, sed, pecuniae, quae suppetebat, summa cum hominum satiandorum numero comparata, anceps haesit. Quaeri quidem potest, quidni ergo IESUS dixerit aliquid, quo tarditatem discipulo exprobraret, vel saltem meliora eum doceret [2]). Sed respondeo, supervenientem ANDREAM fortasse eum interpellavisse, quin dicto eiusmodi ne opus quidem fuisse videri, quum rei eventus PHILIPPO omnia mox explanaturus esset. Casu tantum factum esse puto, ut IESUS PHILIPPUM, non alium discipulum, interrogaret. Itaque calculum adiicere nequeo coniecturae BENGELII, *eum fortasse rem alimentariam curasse inter discipulos;* nec GROTII aliorumque sententiae, PHILIPPI minorem quam ceterorum fuisse fidem. Locus enim, ad quem provocant, Cap. XIV. 8, minus fidei

---

1) *Ioh.* XI. 22.
2) Cf. *Mtth.* XIV. 31. XVI. 9, 10.

quam iudicii exiguitatem cernendam praebet, et id quod PHILIPPUS ibi rogat, a ceterorum quoque discipulorum mente non alienum fuit [1]).

Alterum versus membrum nulla laborat difficultate; nam IESUM antea scivisse, se miraculum patraturum, non est quod miremur [2]).

Nunc autem oritur quaestio, hicne versus genuinus an spurius sit; pertinet enim ad Pericopen VI. 1—26, quae a SCHWEIZERO IOHANNI abiudicatur [3]). Hoc vero quonam argumentorum pondere fiat, quum, quoad equidem scio, data opera nondum exploratum sit, huius loci est perpendere.

1. In v. 2 inducitur ingens hominum multitudo (*ὄχλος πολύς*) IESUM sequens, quoniam multas adspexit mirificas sanationes IESU, Hierosolymis et in huius urbis vicinia degentis. Iam credibile sane non est, populi turbam una cum IESU longinquum iter Hierosolymis in regionem trans mare Tiberiados suscepisse. Sed haec difficultas plus una ratione solvi posse videtur. Quid enim impedit, quominus multitudinem

---

1) Non ait *ἀρκεῖ ἐμοί*, sed *ἀρκεῖ ἡμῖν*, et IESUS, v. 11, *omnibus* dicit: *πιστεύετε ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ Πατρί*, cet.

2) Cf. *Mrc.* V. 36, 39. *Ioh.* XI. 11, 41, 42.

3) L. c. p. 80 sqq.

illam Gileaditidos et Galilaeae incolis Hierosolymis domum redeuntibus constitisse statuamus? Hoc autem si minus placet, aliud est quod respondeam. Iesum equidem Hierosolymis abeuntem non continuo mare Galilaeae traiecisse puto. Orationis cursus sumere sinit, inter ea, quae narrantur Cap. V et VI, alia intervenisse silentio praetermissa. Quod fert etiam formula μετὰ ταῦτα, quae apud iohannem, non ut similis μετὰ τοῦτο, significat, praecedentia, sine aliarum rerum interventu, sequentibus excepta esse [1]).

Praeterea commemoratio Tiberiados, v. 1 et 23, suadet, ut iesum *inde* profectum mare traiecisse censeamus. Quod v. 2 traditur neque ad miracula Hierosolymis patrata referri necesse est, nec vero probabile, si ad Imperfectum ἑώρων attendimus [2]). Quae quum ita sint, statuere ausim, auctorem iter a iesu Hierosolymis in Galilaeam peractum silentio praeteriisse, ita ut ad verbum ἀπῆλθεν cogitatione adiicien-

---

1) Cf. III. 22. V. 1, 14. VII.1. XIII. 7. XIX. 38 cum II. 12. XI. 7, 11. XIX. 28. Si ad hoc discrimen attendisset schweizerus, certe non scripsisset (l. c. p. 115), iesum, oratione in Templo Hierosolymitano vix ad finem perducta, *subito* mare Galilaeum traiicientem dici.

2) Cf. win. *Gr.* § 41. p. 311 sq. Minus recte schweizerus provocat ad Cap. IV. 45, ubi Plusquamperfectum ἑωρακότες et Aoristus ἐποίησεν sententiae favent a me propositae. Cum loco de quo hîc agimus conferatur potius Cap. II. 23.

dum non videatur *ἀπὸ Ἱεροσολύμων* [1]). Sibi ipse non constitit SCHWEIZERUS infra scribens, IOHANNEM, ubi IESUM ex Iudaea in Galilaeam ducat, ea, quae interea facta sint, memorare non solere [2]). Neque etiam praetervidendum est, IESUM pariter, VII. 1, sine ulla itineris facti narratione, in Galilaea prodeuntem induci, si Pericopen VI. 1—26 hinc eiiciamus. Itaque temere contendit Vir Doctus, IOHANNEM, iter IESU in Galilaeam, si ille eo se convertisset, *more suo* indicaturum fuisse [3]).

2. Atqui, SCHWEIZERUS inquit, num credibile est, eos, qui miraculi illius (VI. 10 sqq.) spectatores fuissent, paulo post rogasse, v. 30: *Τί οὖν ποιεῖς σὺ σημεῖον, ἵνα ἴδωμεν καὶ πιστεύσωμέν σοι; τί ἐργάζῃ;* Imprimis conferri iubet v. 15. Sed Euangelistarum scripta multis docent exemplis, fidem, quae tantum miraculorum contemplatione niteretur, eius indolis fuisse, ut nunquam nova miracula concupiscere desineret. Praeterea nexus, qui est inter v. 30 et 31, haud spernendam praebet lucem. Venit hominibus in mentem

---

1) Cf. DE WETTE ad h. l.

2) L. c. p. 190: Nun, *wie immer wenn Johannes Jesum nach Galilaea führt*, eine mit nichts ausgefüllte Pause.

3) L. c. p. 82: *Wie er sonst jedesmal thut.* Ceterum annotari potest, etiam *Ioh.* I. 44. de *proposito* itineris suscipiendi fieri mentionem, ipsum vero iter infra non attingi.

MOSIS, qui proavis panem coelestem dedisset. Itaque IESUS, qui vulgari cibo eos satiaverat, MOSE inferior videbatur, et id, quod pridie fecerat, non satis illustre ac grave habebant legationis Divinae documentum. Propterea iterum rogant panem, sed panem coelitus datum, *ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ* [1]). Cui puerili petitioni IESUS orationem suggerit masculae eloquentiae plenam, qua auditores a rerum adspectabilium cogitatione sursum erigere conatur. Atque hanc transitionem quarti Euangelii ingenio egregie convenire, dignum est, quod animadvertatur [2]).

3. Sine causa SCHWEIZERUS etiam hunc locum propterea suspectum iudicat, quod v. 41, 52, loquentes inducuntur *Ἰουδαῖοι* [3]), pro quibus falsarius neglexerit

---

[1]) Quod GROTIO iudice auditores IESU voluerunt, MOSEN, et per quadraginta quidem annos continuos, plures quam sexcenties mille satiavisse, in verbis eorum non habet, quo probetur.

[2]) Cf. IV. 10. IX. 5. XI. 25. VII. 37. Quod locum postremo allatum attinet, solemnis libatio orationi IESU ansam dedisse videtur. Vide Interpretes ad h. l. et cf. WIN. *Realw.* II. 8 (*Laubhüttenfest*). Hac annotatione simul responsum est ad ea, quae SCHWEIZERUS de vs. 26 disputat l. c. p. 84. Recte hunc versum explicari puto a WETTIO: Nicht weil ihr ein Zeichen (im sinne von II. 11, also ein Erweckungsmittel des Glaubens) gesehen, sondern weil ihr darin nur eine Befriedung eurer sinnlichen Selbstsucht gefunden. De vocabulo *σημεῖα* in Plurali, quod aegre fert SCHWEIZERUS (l. c. p. 116), cf. DE WETTE l. c. p. 110.

[3]) Cf. BREUNISSEN TROOST. *De Discipulo, quem in quarto Euangelio dilexisse Iesus dicitur*, p. 66.

scribere Γαλιλαῖοι. Nam nomen Ἰουδαῖοι totum populum, non vero solos Hierosolymorum vel Iudaeae incolas comprehendebat [1]); omnis Γαλιλαῖος dici poterat Ἰουδαῖος, sed non inversa ratione. Et quaeri potest, an huic loco accommodatum sit vocabulum Γαλιλαῖοι, quod semel tantum apud IOHANNEM exstat, et quidem IV. 45, ubi ita respondet praecedenti Γαλιλαίαν, ut solos Galilaeae incolas significet.

4. Porro falsitatis indicium SCHWEIZERUS sibi reperisse visus est in verbis VII. 1: καὶ μετὰ ταῦτα περιεπάτει ὁ Ἰησοῦς ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ, quippe quae ineptus homo delere neglexerit, qui Pericopen VI. 1—26 in Euangelium importasset. Verum enimvero haec mira quaedam falsarii negligentia est, ex oratione non delere quod fraudem omnibus facit adspectabilem. Deinde Cap. VI. 1 ex verbis quidem colligi potest, IESUM e Galilaea in Peraeam traiecisse; expresse vero iis non inest narratio, eum in Galilaea aliquamdiu degisse. Sed etiamsi huiusmodi narratio ibi exstaret, multum tamen illa, uti etiam id quod legimus v. 16 sqq., differret a commemoratione IESU *Galilaeam peragrantis*,

---

1) Cf. II. 6, 13. III. 1. IV. 9, 22. V. 1. VI. 4. VII. 2. XI. 55. XVIII. 20, 33, 35, 39. XIX. 3, 19, 21, 40, 42.

Cap. VII. 1, quae de industria ibi facta est, ut praepararetur id quod auctor tradere vellet, IESUM ad festum Tabernaculorum celebrandum in Iudaeam proficisci noluisse.

5. Aliam difficultatem SCHWEIZERO parit v. 17. Hinc enim, et haud sine causa, efficit, discipulos adventum IESU praestolatos esse. Sed hoc intelligi non posse asseverat, aiens: alterutrum tenendum esse: vel IESUM, si se diutius in Orientali maris litore commorari velle declarasset, frustra ab iis exspectatum esse; vel eum, si ibi remanere voluisset, una cum illis profecturum fuisse. At omnis, nisi fallor, difficultas tollitur sumendo, IESUM, priusquam montem solus adscenderet, discipulis mandasse, ut ad navem redirent mareque traiicerent; eos vero huic mandato non statim obedivisse, sed, IESU aliquamdiu nequidquam exspectato, sub vesperam demum abivisse [1]).

---

[1]) Prorsus consentio cum iis, quae SCHWEIZERUS, l. c. p. 93, ad vocabula: καὶ εὐθέως τό πλοῖον ἐγένετο ἐπὶ τῆς γῆς (vs. 21) notavit; sed applaudere nequeo interpretationi, quam tribuit verbis: θεωροῦσι τὸν Ἰησοῦν περιπατοῦντα ἐπὶ τῆς θαλάσσης (v. 19), quod memoro tantum ad ostendendum, SCHWEIZERUM, si probaret auctorem miraculum narrare noluisse, suam ipsius causam esse impugnaturum. Nam sic agens argueret, auctorem huius narrationis Synopticis plane contradixisse, dum alibi e Synopticorum, quam nonnullos quarti Euangelii locos prodere contendit, coloris imitatione arguit, hos locos falsario deberi, non IOHANNI.

6. Denique SCHWEIZERUS se nescire monet, quomodo fieri potuerit, ut tot praesto essent navigia, quibus quinque hominum millia (v. 24) traiicerentur [1]. Sed veri simillimum est, magnam horum hominum partem, priusquam traiectio initium caperet, sensim paulatimqne iam fuisse dispersam. Praeterea si plurimi eorum Tiberiados fuerunt incolae, hinc missas esse naves, ut domum eos reducerent, non est quod miremur [2].

Ubi offensioni SCHWEIZERO sunt *τὸ ὄρος*, v. 3, et *ὄχλος πολύς*, v. 2 [3], revera nodum quaerit in scirpo. Ceterum non intelligo, quomodo contendere possit, orationem, Pericope VI. 1—26 eiecta, demum recte procedere. Nam sic pro nexu habemus quod non cohaeret: Εἰ *γὰρ ἐπιστεύετε* Μωυσεῖ, *ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί·*

---

[1]) Hac in causa quoque sibi magis constitisse oportuerat SCHWEIZERUM. Ubi agit de formula *περιπατεῖν ἐπὶ τῆς θαλάσσης* (l. c. p. 92), Synopticorum testimonia audire non vult; scilicet ibi placito eius obstant. Hîc vero, ubi id, quod Synoptici tradunt, placito suo consentaneum facere potest, rationem eorum habere non recusat. Scripsit enim (l. c. p. 93): Wenn wir ihnen auch die von den Synoptikern beigefügten Weiber und Kinder schenken wollen.

[2]) Cf. WIN. *Realw.* II. 620 (*Tiberias*): Fischerei und Transportschifffahrt auf dem See Genezareth war ein Haupterwerbszweig der Einwohner (JOSEPH. *Vit.* 12).

[3]) L. c. p. 81.

περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψεν. Εἰ δὲ τοῖς ἐκείνου γράμμασιν οὐ πιστεύετε, πῶς τοῖς ἐμοῖς ῥήμασι πιστεύσετε; Ἐργάζεσθε μὴ τὴν βρῶσιν τὴν ἀπολλυμένην cet. (V. 46, 47. VII. 27). Quidni Vir Doctus hinc eiicit potius v. 1—29? Multo aptius saltem Cap. VI. 30 quam VI. 27 sequitur V. 47.

Frustra quoque SCHWEIZERUS ad orationis colorem considerandum excitat. Primum offenditur eo, quod vocabulum ἕν, v. 9, pro τι positum est, sed TISCHENDORFIUS auctoritate Codicum B, D, L, aliorum, illud recte ex oratione expulit [1]). Quae notavit ad verba: Ὡς δὲ ὀψία ἐγένετο (v. 16) et Καὶ σκοτία ἤδη ἐγεγόνει (v. 17), haud scio an talia non sint, ut refelli mereantur. Vocabulum καί (v. 17, 19, 21) quod attinet, hoc mihi quidem nullam creat difficultatem, eo minus quod hac etiam in Pericope saepissime sententiae copulantur per Particulam οὖν, ipsi IOHANNI usitatissimam [2]). Ter autem, vs. 17, auctor Particula καί usus esse videtur, ut continuam rerum narratarum progressionem tamquam ante oculos collocaret. Vocabula ἅπαξ λεγόμενα, quippe quae alibi in quarto Euangelio

[1]) Cf. WIN. *Gr.* (*Nachträge*). p. 707.

[2]) Cf. v. 5, 10, 13, 14, 15, 19, 21, 24.

frustra quaeruntur, sunt: *ἀνῆλθε* (v. 3), *πειράζειν* (v. 6), *βραχύ* (v. 7), *παιδάριον* (v. 9), *ἀριθμός* (v. 10), *διέδωκε* (v. 11), *ἐνεπλήσθησαν*, *περισσεύειν*, *κλάσματα*, *βιβρώσκειν* (v. 12, 13) [1]), *ἀνεχώρησεν* (v. 15), *ἄνεμος*, *διεγείρετο* (v. 18), *ἐληλακότες* (v. 19), *χορτασθῆναι* (v. 26) [2]). Haud multum vero illa valent in disputatione, utrum locus genuinus an spurius sit. Paulo plus inde cogi posset, si non tantum hîc legerentur, sed etiam in aliis illis Pericopis, quas SCHWEIZERUS a IOHANNE profectas esse negat. Si quis miretur, illa *ἅπαξ λεγόμενα* hic tam numerosa esse, secum reputet velim, ipsum huius loci argumentum vocabula sibi postulare alibi inusitata. Si fortasse quis provocat ad verba *ὀψάριον*, (v. 9), *ἐμβαίνειν*, *πλοῖον* (v. 17), *πλοιάριον* (v. 22, 23, 24), quae nusquam in quarto Euangelio nisi hîc et Cap. XXI leguntur, equidem ea leviora esse arbitror, quam ut fraudis suspicionem moveant [3]). Cetera quae v. 1—26 exstant, *ad unum omnia*, aliis

---

1) Derivata tamen *περισσός*, *βρῶμα*, *βρῶσις* apud IOHANNEM leguntur.

2) Referenda huc etiam est notatio loci, v. 1: *τῆς θαλάσσης τῆς Γαλιλαίας τῆς Τιβεριάδος*. Cf. WIN. *Gr.* § 30 p. 219. Mitto numeros (v. 6, 19), uti etiam vocabulum *χόρτος* (v. 10) et coniuncta *ἄρτοι κρίθινοι* (v. 9), quippe quae eiusmodi sunt, ut in disputatione de stilo alicuius eorum rationem habere nihil attineat.

3) Cff. praeterea quae infra de authentia Capitis XXI disputavi.

etiam in locis, sine dubio authenticis, quartum Euangelium praebet. Neque praetervidendum est, illud ἐμβαίνειν εἰς πλοῖον formulam fuisse nauticam [1]); et quum Euangelium IOHANNIS navigationem alibi quam Cap. VI et XXI non attingat, mirum sane non est, utroque loco hanc formulam obviam esse.

Rationem concludamus. Certum mihi est probari non posse, Pericopen VI. 1—26 a falsario esse profectam. Authentia igitur versus 6, cuius consideratio huic digressioni ansam dedit, propterea saltem in dubium vocanda non est, quod hac in Pericope legitur. Videndum vero nunc est, num fortasse ipse ille versus 6 manum alienam prodat. Offensioni esse possit verbum πειράζειν, quod tantummodo hic exstat et in Pericope suspecta [2]) de muliere adultera. Sed quantum scio, nullus alius locus apud IOHANNEM exhibet *notionem*, quae inest verbo πειράζειν. Si alibi eadem *notio* alio *verbo* denotaretur, paulo gravioris ponderis esset offensio illa. Praeterea vero stilus

---

[1]) Verbum ἐμβαίνειν in N. T. nusquam usurpatur nisi de *conscendenda navi*, uno loco (*Ioh.* V. 4) eoque spurio excepto. Cf. HOM. *Il.* II. 720. *Od.* IV. 656. HERODOT. II. 29, aliosque locos quam plurimos.

[2]) Cf. Cl. SCHOLTEN. *Mag. v. Krit. en Exeget.* 1852. T. III. Pars 4.

nihil continet, quod IOHANNI tribui nequeat. Nec video, quid tandem falsarium impulisset ad explicationem versui 5 subiiciendam, cuius, si abesset, nullum lectori relictum foret desiderium.

Ioh. VI. 64^b.

Ἤιδει γὰρ ἐξ ἀρχῆς ὁ Ἰησοῦς τίνες εἰσὶν οἱ μὴ πιστεύοντες καὶ τίς ἐστιν ὁ παραδώσων αὐτόν.

Primum definiendum est, quid sibi velit formula ἐξ ἀρχῆς. Collatis Cap. XV. 27 et XVI. 4, statuere licet, eam non indicare tempus, quo IESUS munus Doctoris obire, sed quo quisque IESUM, discipuli nomine [1]), sequi coepit [2]). Iam si et hoc tenemus, et simul animadvertimus non legi πιστεύσοντες, in Futuro, sed πιστεύοντες, in Praesenti, et comparamus quoque Cap. I. 48. II. 24, 25, non est quod in priore huius loci parte haereamus. Gravius vero negotium facessit commemoratio proditoris [3]). Nam si IESUS ab eo tempore inde, quo IUDAM in consuetudinem suam

---

1) Latiore nempe sensu, ut *Luc.* VI. 13, 17. *Mtth.* VIII. 21. *Ioh.* IV. 1, 2. XVIII. 17, 19, 25.

2) Cf. MEYER et LÜCKE ad h. l.

3) Cf. STRAUSS. *Leben Jesu.* Ed. 4. II. 367 sqq. LÜCKE, l. c. T. II. p. 182 sqq. ULLMANN. *Sündlos.* Ed. 5. p. 139 sqq.

et familiaritatem receperat, praescivit illum fore hominem a quo proderetur [1]), iure meritoque quaeritur, quomodo eum in discipulorum numero retinere potuerit. Responderi nequit, IESUM viri emendandi spem habuisse, nam hanc spem omnino excludit scientia illa. Praeterea, si ab initio inde scivit IESUS, quis ipsum esset proditurus, nonne cognitum ei erat etiam capitale IUDAE vitium, avaritia? Et tamen hic ipse est, cui communis aerarii curam demandaverit [2]). Quid ergo hinc sequitur? IESUM sibi et IUDAE nocuisse, eo tum in societate sua, tum in rei pecuniariae administratione retinendo, et per tres fere annos simulasse erga eum amicitiam [3]). Notae sunt hae difficultates, quibus Euangelistae, ab antiquo pressa est, explicatio, sed nondum solutae sunt, nec facile,

---

1) Bene notandum est, IOHANNEM non scripsisse *τίνες εἰσὶν μὴ πιστεύοντες καὶ τίς ἐστι παραδώσων αὐτόν*, sed alteri Articulum *οἱ*, alteri *ὁ* interposuisse, quo de dicendi genere cf. KLUIT. *Vindiciae Articuli*, cet. T. I. Pars I. p. 240 sqq. VIGERUS. *De Idiotismis Hermanni*, p. 342 sq. FRITZSCHE ad *Rom.* VIII. 33. Cl. v. HENGEL ad *Phil.* II. 13.

2) Cf. XII. 6. XIII. 29.

3) Nempe ex historia non apparet, IUDAM aliqua in re ceteris discipulis fuisse postpositum. Cf. *Mtth.* XIX. 28. Quod vero contendit v. OOSTERZEE (*Leven van Jesus.* II. 246), IESUM eum haud secus quam ceteros ad *τοὺς δεδομένους παρὰ τοῦ Πατρός* retulisse, minime potest effici ex Cap. XVII. 12 (cf. de laxiori usu formulae *εἰ μή*, *Mtth.* XII. 4. *Apoc.* XXI. 27. WIN. *Gr.* § 65. p. 647) et negatur per omnia illa, quae de *τοῖς δεδομένοις* praedicantur. Cf. XVII. 6, 8, 11, 14. 15, 23, 24.

ut arbitror, solventur. Accedit hoc, quod ipsa IESU verba Ἀλλὰ εἰσὶν ἐξ ὑμῶν τινες οἳ οὐ πιστεύουσιν, indicio esse non posse videantur, eius animo proditorem obversatum esse. Annotatio ᾔδει γὰρ ἐξ ἀρχῆς, τίνες εἰσὶν οἱ μὴ πιστεύοντες recte omnino se habet, sed illud καὶ τίς ἐστιν ὁ παραδώσων αὐτόν plus exprimere videtur, quam ipsa quidem IESU verba sonant. Deinde quod scientiam IESU attinet, alius generis esse videtur quod legitur Cap. II. 24, 25, ubi proponitur singulari sua humanae naturae cognitione in animorum studia penetrans; hîc vero deprehenditur proditionis facinus ex praesenti IUDAE indole aliquando emanaturum praevidens. Alibi quidem (Cap. XVIII. 4) narrat IOHANNES, IESUM scivisse πάντα τὰ ἐρχόμενα ἐπ' αὐτόν; sed hoc ita accipiendum non est, ac si distincte ob oculos habuerit singulas actiones, quarum IUDAS, CAIAPHAS, HERODES, PILATUS auctores forent: verba tantummodo exitum fatalem IESU destinatum indicant. Tenendum est etiam, illam scientiam non dici ipsi fuisse ἐξ ἀρχῆς. Neque dictum IESU: ἐξ ὑμῶν εἷς διάβολός [1]) ἐστιν (v. 70) contradicendi locum praebet. Nam

[1]) Vocabulum διάβολος non nimis urgendum est. Cf. *Mtth.* XVI. 23. Fortasse eandem hîc habet notionem atque 1 *Tim.* III. 11. 2 *Tim.* III. 3. *Tit.* II. 13. Cf. LÜCKE, l. c. T. II. p. 180.

non dicit ille: ἐξ ἀρχῆς οἶδα, ὅτι ἐξ ὑμῶν εἷς διάβολός ἐστιν, neque etiam: εἷς ἐξ ὑμῶν παραδώσει με. Itaque non ἐξ ἀρχῆς, sed tunc temporis IESUS in IUDAE animo semina vidit, ex quibus proditionis facinus postea ortum est. Verumtamen eum ipsam proditionem iam praescivisse, hinc nullo modo effici potest. Expressa proditoris designatio se demum sub finem vitae IESU offert [1]).

Rem mihi sic propono: IESUS, IUDAM sibi eligens discipulum, proditorem futurum in eo non vidit [2]); deinde animadvertit in eius indole quae improbanda erant, et sensim quidem sensimque plura, sed sperabat semper se familiari consuetudine, voce, exemplo hominem emendaturum [3]). Frustra. IUDAS

---

1) Cf. *Mtth.* XXVI. 21. *Mrc.* XIV. 18. *Luc.* XXII. 21. *Ioh.* XIII. 10. 21.

2) Secundum LÜCKIUM (l. c. T. II. p. 502) IESUS serius demum IUDAM *furem* etiam (Cap. XII. 6) expertus est, quod mihi non est credibile. Ad ultimum usque tempus, quod in IESU discipulorumque societate degebat, retinuit ille quidem rei pecuniariae curam (*Ioh.* XIII. 29), sed fortasse hoc inde explicari potest, quod IESUS intellexit se, hac cura ipsi adimenda, palam eum dedecoraturum adeoque e ceterorum discipulorum collegio expulsurum. Fieri potest, ut IESUS eum clam submonuerit et dehortatus sit ab avaritia, et tamen ei, ob causam memoratam, ad finem usque munus quo fungeretur reliquerit.

3) Das Böse ist, als ein seinem Wesen nach Willkürliches, Inconsequentes und Widersinniges, in seine Entwickelung unberechenbar. ULLMANN. l. c. p. 143. cf. SCHWEIZER, l. c. p. 169.

paulatim eo procedebat malitiae, ut IESUS de eo emendando desperare inciperet, quin etiam postremum praevideret, se ab illo inimicis suis traditum iri. Re sic explicata, quaestio, quomodo IESUS IUDAM in discipulorum numero retinere potuerit, ita tandem soluta est, ut luculenter splendeat IESU erga hominem abiectum caritas, et nihil eius sapientiae derogetur.

Ioh. VI. 71.

Ἔλεγε δὲ τὸν Ἰούδαν Σίμωνος Ἰσκαριώτου· οὗτος γὰρ ἔμελλε παραδιδόναι αὐτόν, εἷς ὢν ἐκ τῶν δώδεκα.

Quae ad v. 64 notavi pauca tantum mihi hoc de loco relinquunt dicenda. Omni dubio maius est, IOHANNEM eo, quod enuntiatione ἐξ ὑμῶν εἷς διάβολός ἐστιν expressum est, ad IUDAM referendo, mentem IESU bene proposuisse. Quod sensum verborum οὗτος γὰρ ἔμελλε παραδιδόναι αὐτόν attinet, assentiri nequeo MEYERO interpretanti: *versabat consilium proditionis* [1]), quippe quod nec testatur historia [2]), nec convenit cum loquendi usu, ubi apud IOHANNEM legimus μέλλειν [3]). Satis fidenter Graeca vertendo reddo: *hic*

1) *Er ging damit um, ihn auszuliefern.*

2) Cf. XIII. 2, 27 et LÜCKE, DE WETTE ad h. l. SCHWEIZER l. c. p. 170 sqq.

3) Dissentio igitur ab eo, quod LÜCKIUS notavit de Cap. VI. 15. VII. 35. L. c. T. II. p. 181.

enim eum proditurus erat [1]). Ceterum mea quidem sententia, ut ex supra dictis perspicue apparet, IESUS IUDAM non propterea vocavit διάβολον, quod in eo iam videbat futurum proditorem, sed quod ipsum non latebant mala semina in animo eius abscondita. IOHANNES vero alterum ab altero minus distinxisse videtur. Verba autem εἷς ὢν ἐκ τῶν δώδεκα praecedentibus eo consilio adiecta puto, ut facinoris gravitas lectoribus clare ante oculos foret. Videlicet IESUM proditurus erat homo, qui ad duodecim discipulos pertinebat, quos ille prae aliis in familiaritatem suam et amicitiam receperat [2]).

---

1) Eodem modo Cap. XII. 4.

2) Cf. *Mtth.* XXVI. 14, 47. *Mrc.* XIV. 10, 20, 43. *Luc.* XXII. 47. Ubi THOMAS, Cap. XX. 24, dicitur εἷς ἐκ τῶν δώδεκα, significare videtur auctor, THOMAM, quamvis ad *duodecim* discipulos pertineret, tamen non affuisse in conclavi, in quo discipuli IESU, v. 19, coll. *Luc.* XXIV. 33, congregati essent. Vid. etiam BREUNISSEN TROOST l. c. p. 4. Not. 1.

Ioh. VII. 39.

Τοῦτο δὲ εἶπε περὶ τοῦ πνεύματος, οὗ ἔμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν· οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα, ὅτι Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη.

Consideremus, interpretationis Euangelistae nondum habita ratione, ipsa IESU verba v. 38: Ὁ *πιστεύων εἰς ἐμέ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφή, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος.* Sensus eorum esse videtur: *Qui revera mecum per fidem coniunctus sit, ex eius tamquam visceribus continuo emanabunt flumina ὕδατος ζῶντος: non tantum ὕδωρ in eo erit, sed copiosissima ὕδατος affluentia, quae et ipsum hominem salutifera sua vi perfundat, et aliorum corda permeet* [1]. Quaestio igitur est, quid in N. T. formula *ὕδωρ ζῶν* indicare soleat. Cernitur

---

[1]) Nimirum vocabulum *ποταμοί* non solum a connexis *ὕδατος ζῶντος* separatum, sed etiam toti Apodosi praepositum est, ut praecipuam orationis vim in eo cerni pateret.

in ea imago *ζωῆς αἰωνίου* [1]), non vero *πνεύματος ἁγίου*, quod in N. T. passim comparari cum *igne* recte monuit LÜCKIUS, provocans ad *Act.* II. [2]). OLSHAUSENIUS quidem ex *Act.* X. 45 et *Tit.* III. 6 probare conatur, his in libris *aquam* etiam *Spiritus Sancti* esse imaginem [3]); equidem vero putaverim, duobus illis locis non *aquam* obversatam esse menti auctorum, sed *oleum* [4]). Nihilominus recte, ut opinor, se habet IOHANNIS annotatio: Τοῦτο δὲ εἶπε περὶ τοῦ πνεύματος, quorum verborum vim procul dubio nimis quam par est restringunt, qui sic ea accipiunt, ac si IOHANNES putasset τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν revera significare τὸ

---

1) *Apoc.* VII. 17. XXI. 6. XXII. 1, 17. *Ioh.* IV. 10, 14. Ad hunc locum EUTHYMIUS notavit: *Ἀναβλύζοντος εἰς ζωὴν αἰώνιον, διὰ τὸ παρέχειν ζωὴν αἰώνιον.*

2) Vid. etiam *Act.* XVIII. 25. *Rom.* XII. 11. 1 *Thess.* V. 19.

3) *Bibl. Comm. über sämmtl. Schr. des N. T.* T. II. p. 203. Maiori iure fortasse adducitur formula *βαπτίζειν ἐν πνεύματι ἁγίῳ*. Cf. RUTGERS V. D. LOEFF. *Waarheid in Liefde* 1841. Pars II. p. 285. Notandum tamen est, nusquam diserte memorari *ὕδωρ τοῦ πνεύματος*, dum saepius legimus *ὕδωρ τῆς ζωῆς*.

4) Cf. *Act.* X. 38. 1 *Ioh.* II. 20, 27. 2 *Cor.* I. 21, 22. Etiam in V. T. hoc exstat, ut *Ies.* LXI 1. et fortasse *Ioël* III. 1 sqq., ubi significatur, per effusionem Spiritus hominem fieri נָבִיא, חֹזֶה, רֹאֶה; quapropter hic oleum inaugurationis potius intelligendum videtur quam aqua. Cf. 1 *Reg.* XIX. 16. Hoc tamen asseverare non ausim, quum, nisi fallor, de oleo effundendo non usurpetur verbum שָׁפַךְ, quod in loco IOËLIS allato legitur, sed יָצַק sive נָצַק.

πνεῦμα [1]). Ἡ ζωὴ αἰώνιος et τὸ ἅγιον πνεῦμα inter se conveniunt, ut *effectus* et *causa*, unde sequitur, eum, qui illud enuntiet, hoc quoque spectare posse [2]).

Iam transeamus ad cetera quae orationi adiecit Euangelista: Οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα, ὅτι Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη. Ita quidem IOHANNES, ut etiam non fugit ERASMUM [3]), negare non videtur, *fuisse* Spiritum (obiective), sed Spiritum iam hominibus datum esse [4]). Ex verbis tamen illis οὔπω γὰρ cet., uti ex praecedenti ἔμελλον, satis apparet, eum ob oculos habuisse certum aliquem eventum, qui CHRISTI, postquam Deus ei gloriam bene meritam impertivisset [5]), sectatoribus esset destinatus. Qualis autem hic eventus fuisse censendus est, nisi effusio donorum Spiritus Divini in festo Pentecostes? Quaestio igitur est, spectaveritne illud IESUS, quum diceret ποταμοὶ cet. Legimus

---

1) Sic LÜCKIUS l. c. T. II. p. 231: Unter dem ὕδωρ ζῶν versteht er nicht die ζωὴ αἰώνιος, sondern das πνεῦμα ἅγιον.

2) Cf. MEYER ad h. l.

3) In *Bibl. Crit.* ad h. l.

4) Cf. *Act.* XIX. 2. In Cod. B legitur οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα δεδομένον, cuius simile habent etiam Peschito aliaeque Versiones. Quamquam autem illud δεδομένον sine dubio glossa habenda est, rectum tamen sensum praebet. EUTHYMIUS: οὔπω ἦν δεδομένον τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. Cf. Cl. v. HENGEL. *De betrekking van het gevoel,* cet. p. 68, 69.

5) Cf. XII. 16.

v. 37: Ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός ἐμὲ καὶ πινέτω, i. e. missa Allegoria: *Si quis excelsioris animi desideriis satisfactum velit, fide me amplectatur* [1], *et vitae aeternae fiet particeps.* Nos sane si IESUM ita dicentem audiremus, mentem eius plane intelligere potuissemus, etiamsi nihildum de effusione donorum Spiritus Divini in festo Pentecostes notum nobis esset. Quid, quod si illa nunquam evenisset, verba IESU omnem suam vim retinerent? Nec, v. 38, verba: Ὁ πιστεύων cet. eo referri posse, arctissimus docet nexus, quo hic versus cum praecedenti coniunctus est, ut iam elucet e supra disputatis. Res ipsa loquitur, Spiritus Sancti actionem clare pleneque demum prodire potuisse post IESU abitum hac ex vita. Quamdiu enim cum discipulis versabatur, humilia terrestriaque spirabant, et Magistri praesentia freti ac securi cohibebantur, quominus ipsi sibi constantes animo ad altiora tenderent. Ideo IESUS τὸν Παράκλητον, i. e. alterum adiutorem, ad illos venturum negavit, nisi ipse prius abiisset [2]. Sed hinc colligere non licet, omnem Spiritus Divini actionem restringendam esse ad tem-

---

[1]) Cf. Cl. SCHOLTEN. *De Leer der Herv. Kerk.* Ed. 2. T. II. p. 24.
[2]) Cf. XVI. 7.

pus, quod abitum IESU exceperit; imo vero ne hoc faciamus, ipsa IESU verba obstare videntur. Ceterum haec ita comparata non sunt, ut IOHANNI affingamus opinionem, se annotatione sua genuinum verborum IESU reddere sensum; sed annotatio illa hoc modo explicanda videtur: *Sic de re praesenti* IESUS *verbis usus est, largam donorum Spiritus Sancti effusionem adumbrantibus* [1]).

---

[1]) Recte LÜCKIUS l. c. T. II. p. 231, 233: IOHANNES deutet den Ausspruch nicht nach dem ersten Eindrucke und Verständnisse im Augenblicke des Hörens, sondern wie er ihn im Act des Schreibens auffasste. — Er gab ihnen (den Worten Jesu) eine *epexegetisch* richtige, *exegetisch* aber ungenaue Deutung.

Ioh. XI. 13.

Εἰρήκει δὲ ὁ Ἰησοῦς περὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ· ἐκεῖνοι δὲ ἔδοξαν ὅτι περὶ τῆς κοιμήσεως τοῦ ὕπνου λέγει.

Pertinet hic versus ad Pericopen, quae multum ab antiquo Interpretibus creavit molestiae, neque ipse omnis expers est difficultatis. Iesum, v. 11, imagine a somno petita, lazari mortem spectasse, vel e solo v. 14 perspicuum est. Iam quaestio oritur, quomodo tandem fieri potuerit, ut hoc non caperent discipuli [1]). Uti verbum שָׁכַב in V. T. [2]), ita *κοιμᾶσθαι* in N. T. [3]) haud raro *mortem* significat, secundum loquendi usum tam Iudaeis, quam aliis gentibus fa-

---

[1]) Cf. strauss l. c. II. 147.

[2]) Cf. *Deut.* XXXI. 16. 2 *Sam.* VII. 12. 1 *Reg.* II. 10. XI. 43. XIV. 20. XV. 8. *Iob.* III. 13. *Ies.* XIV. 18. Omnibns his locis Interpretes Graeci habent *κοιμᾶσθαι*. Vid. etiam drusius in *Bibl. Crit.* ad h. l.

[3]) Cf. *Mtth.* XXVII. 62. *Act.* VII. 60. XIII. 36. 1 *Cor.* VII. 39. XI. 30. XV. 6, 18 20, 51. 1 *Thess.* IV. 13, 14, 15. 2 *Petr.* III. 4. Cl. v. hengel in *Commentario ad* 1 *Cor.* XV.

miliarem [1]). Ipse IESUS, saltem coram PETRO, IOHANNE et IACOBO, mortuam IAÏRI filiam *dormire* dixit [2]). Ad propositam vero quaestionem primum respondeo, saepissime discipulos Magistri sui verba non intellexisse [3]); deinde causam in aperto esse, quare nunc minus assecuti sint, quid IESUS sibi vellet. Nimirum quum, accepto morbi nuntio, biduum etiam in loco maneret ubi versabatur, facile in opinione esse poterant, haud ita gravi morbo LAZARUM laborare. Huc sine dubio fecit etiam dictum IESU, v. 4: *Αὕτη ἡ ἀσθένεια οὐκ ἔστι πρὸς θάνατον*, i. e. secundum vulgarem loquendi usum: *Non est morbus eiusmodi, ut necessario secum ferat mortem* [4]). Consuetum hunc sensum eos IESU verbis tribuisse necesse est; ipse vero quid voluerit IESUS, perspicue docent circumiecta. Qui LAZARI mortem ei nuntiabat, non substitit, ut vel me tacente

---

[1]) Cf. HOM. *Il.* XVI. 682. LESSING. *Wie die Alten den Tod gebildet.* (Sämmtl. Schriften, herausgegeben von LACHMANN. B. VIII. S. 210 ff.)

[2]) *Mtth.* IX. 24. *Mrc.* V. 37, 39. *Luc.* VIII. 51. 52. De verbo *καθεύδειν* cf. *Eph.* V. 14. Sic in V. T. יָשֵׁן, e. g. *Iob.* III. 13. *Ier.* LI. 39. — Ibi Interpres Alexandrinus habet *ὑπνοῦν*.

[3]) Cf. *Mtth.* XVI. 6, 7. *Mrc.* IX. 10, 32. *Luc.* IX. 45. *Ioh.* IV. 32, 33. XIII. 6—10, 28, 29. XVI. 18. XXI. 19, 20.

[4]) Graeci eo sensu dicunt *νόσημα θανάσιμον*. Vid. PLAT. *Rep.* III. 406 b. Cf. 2 *Reg.* XX. 1 (LXX), ubi legimus: *ἠῤῥώστησεν εἰς θάνατον*. Vid. etiam *Luc.* XIX. 42. 2 *Cor.* I. 20. 1 *Tim.* IV. 7. 1 *Ioh.* V. 16.

manifestum est, in illo: Κύριε, ἴδε ὃν φιλεῖς ἀσθενεῖ (v. 3), sed aegrotantis conditionem sine dubio uberius descripsit morbique notas exhibuit. Hinc igitur efficere potuit IESUS, amici obitum iamiam instare, et quam probe paulo post ipsam mortem secutam esse sciverit, declarant eius verba, v. 14: Λάζαρος ἀπέθανε [1]). Itaque necesse est, eum dicto, v. 4: Αὕτη ἡ ἀσθένεια οὐκ ἔστι πρὸς θάνατον cet. aliud significasse, quam discipuli intelligerent. Et hic quidem sensus verbis eius tribuendus videtur [2]): *Hic morbus in mortem non desinet, sed inserviet ad Filium Dei, intercedente vi Divina, illustrandum* [3]). IESUM tunc iam scivisse, se mortuum in vitam revocaturum esse, nil habet absurdi [4]).

---

1) Alterum nuntium post alterum advenisse, qui IESUM de morte LAZARI certiorem faceret, credibile non est. Nam tale quid, quod totam narrationis veluti faciem mutasset, IOHANNES silentio praetermittere non potuit.

2) Cf. DE WETTE et MEYER ad h. l.

3) Cf. v. 40.

4) Cf. *Mrc.* V. 36, 39. *Ioh.* VI. 6. Opinatur v. OOSTERZEE (l. c. T. II. p. 753), duce EBRARDO, discipulos putasse, IESUM absentem, enuntiandis illis: *Αὕτη ἡ ἀσθένεια* cet. iam sanavisse aegrotantem (*Fernheilung*, cf. IV. 47 sqq.); sed docet v. 12, eos post biduum etiam credidisse, LAZARO opus esse sanatione.

Ioh. XII. 33.

Τοῦτο δὲ ἔλεγε σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν.

Spectat haec Euangelistae annotatio IESU verba, v. 32: Κἀγὼ *ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν* [1]), quibus igitur verbis indicatum putavit mortis genus, quo IESUS exstinctus esset. Revera hanc IOHANNIS mentem fuisse, quum scriberet illa: *σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν*, apparet, si conferimus Cap. XVIII. 31 sq., ubi PILATUS per ironiam Iudaeis concedit, ut ipsi IESUM iudicent, haud ignarus, iis non licere mortis poena, quam de IESU sumere velint, reum mulctare [2]). Respondent Iudaei: Ἡ*μῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα.* Atque

---

1) De toto hoc loco cff. quae Cl. SCHOLTENIUS, in *Bijdr.* T. III. p. 111 sqq. et quae in contrariam partem, ibidem T. IV. p. 113 sqq., WERNINKIUS disputavit.

2) Cf. IOSEPH. *Ant.* XX. 9, 1. SELDEN. *De Synedriis.* II. 15, 11. LÜCKE et DE WETTE ad h. l. WINER. *Realw.* II. 552 sqq.

hac responsione ipsi fatentur se occidendi iure privatos esse. Si autem iis permissum fuisset IESUM occidere, ille moriturus fuisset per lapidationem [1]); nunc vero, quum iure Romano adstricti essent, IESU imminebat supplicium crucis [2]). Crucis enim poena Romani imprimis afficere solebant servos hominesque seditiosos [3]). IOHANNES autem, opinatus IESUM hoc mortis genus subobscure iam significasse verbo *ὑψωθῆναι*, addidit haec: *ἵνα ὁ λόγος τοῦ Ἰησοῦ πληρωθῇ, ὃν εἶπε σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν* [4]). Sed, ut ad locum qui tractandus mihi est revertar, ante omnia tenendum est, IESUM sine dubio suo in sermone Aramaeo ambigue locutum esse. Nam si ille verbo bene definito usus esset (e. g. זְקַף), IOHANNES nec scripsisset *ὑψωθῶ*, quod èt propriam èt figuratam notionem habere potest, neque interpretationem IESU dicto adiecisset [5]). Sed usus esse videtur forma Passiva verbi רוּם [6]), cui,

---

1) Cf. *Act.* VII. 58. LÜCKE l. c. T. II. p. 736.

2) Cf. COLANI in Opere *Revue de Théologie* cet. Vol. II. Pars 1. p. 36.

3) Cf. WIN. *Realw.* I. 677 (*Kreuzigung*). LIPS. *De cruce* I. 14.

4) Cf. etiam Cap. XXI. 19.

5) Cf. Cl. SCHOLTEN l. c. p. 116 sqq.

6) Sic Peschito ܐܬܬܪܝܡܬ. Cf. DRUSIUS in *Bibl. Crit.* ad h. l. IESUM verbo usum esse, quod admitteret etiam notionem *moriendi*, ut vult LÜCKIUS, provocans ad v. 34, necesse non est. Nam formulae *μένειν εἰς τὸν αἰῶνα* non tam oppositum est verbum *ἀποθανεῖν*, quam

aeque ac Graeco ὑψοῦν, duplex inest significatio. Itaque ipsa haec verba nihil efficiunt, sed alia circumspicienda sunt indicia, unde sciamus, quid IESUS sibi voluerit. Primum ad contextam orationem nos convertamus. Legimus v. 31: Νῦν κρίσις ἐστὶ τοῦ κόσμου τούτου. Denotatur iudicium mundi peccatis dediti et a Deo abalienati. Quis autem huius iudicii erit effectus? De mundi potentia actum erit; sequitur enim: Νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω [1]), i. e. expelletur Satanas e regno suo. Iam quae his, v. 32, a IESU adiecta sunt: Κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας [2]) ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν, non inserviunt ad excludendam mortem eius, quippe in qua finis esset dominationis mali hoc in mundo simulque initium splendoris regni Divini; sed dummodo sumamus mortem *publice testatam*, quid tandem est, quod sigillatim in censum veniat supplicium *crucis?* Oratio igitur contexta non postulat, ut verba IESU ad

---

quidem ἀπελθεῖν, ὑπάγειν, χωρίζεσθαι, qualicunque tandem modo discessio fit. Cf. Cl. SCHOLTEN l. c. p. 136 sqq.

1) Cf. Cap. VI. 37. IX. 34, 35. XV. 6

2) Non tantum Iudaeos significare videtur, sed homines etiam ex gentibus exteris ortos. Cf. v. 20 sqq. XI. 52. ERASMUS: *Non modo Iudaeos, verum etiam Graecos ac Barbaros.* GROTIUS: *Intellige non Iudaeos tantum, sed et alienigenas.* CLARIUS: *Intellige non Iudaeos solum, sed omne hominum genus.*

huius mortis poenam referantur. Praeterea recte mihi LÜCKIUS Antithesin quamdam tribuisse videtur verbis *ἐκβληθῆναι* et *ὑψωθῆναι*. Atqui quum illud lapsum Satanae denotet, nonne hoc indicetur oportet CHRISTUM ad gloriam evectum iri, ut ei cogitando addendum sit *τῇ δεξίᾳ τοῦ Θεοῦ* [1])? Porro connexum *ἐκ τῆς γῆς* minus favet iis, qui *crucem* intelligunt [2]). Illud enim ita comparatum est, ut apprime conveniat cum formulis *ὑπάγειν πρὸς τὸν Πατέρα*, *δοξασθῆναι*, *ὑψωθῆναι τῇ δεξίᾳ τοῦ Θεοῦ* [3]), quare crucis supplicium vix aut ne vix quidem lectori in mentem veniret, nisi adiecta esset annotatio v. 33 [4]). Denique illud *πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν* non est actio propria CHRISTI cruci affixi, sed CHRISTI gloriam coelestem adepti, triumphantis, regnantis. — At vel sic tamen, inquiunt, verbum *ὑψωθῆναι* corpus ad crucem elevatum significare potest. Nam quum diceret IESUS *ἐὰν ὑψωθῶ*, non sibi voluit: *dum ex cruce pendebo*, sed:

---

1) Cf. *Act.* II. 33. V. 31.

2) Cf. WERNINK l. c. p. 150.

3) Cf. DE WETTE ad h. l.

4) Oleum et operam perdere mihi videntur, qui discrimen hîc urgent Particularum *ἐκ* et *ἀπό*. Nam IESUS verosimiliter usus est Aramaea מִן (Peschito ܡܢ ܐܪܥܐ), cui utraque Graeca respondet. Cf. *Gen.* XII. 1 et *Exod.* XV. 22 coll. LXX.

postquam cruci affixus fuero [1]). At quisque, nisi fallor, videbit, multo melius in sequentia πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν quadrare interpretationem: *quum in coelos sublatus ero.* Hac enim interpretatione IESUS inducitur id enuntians, quod dissentientes orationi cogitando adiici iubent. Deinde vehementer dubito, num horum virorum explicationem loquendi usus tueatur. Nimirum ubi in Protasi exstat coniunctio ἐάν cum Coniunctivo Aoristi, et in Apodosi sequitur Futurum, actiones per Coniunctivum et per Futurum propositae, si ad unum idemque Subiectum referendae sunt, ita cohaerent, ut alteram altera continuo excipiat [2]).

Quibus omnibus consideratis, prorsus assentior Cl. SCHOLTENIO monenti: „Si quaeritur quid *verba* IESU *dicant*, sensus iis hic inest: *quum, terra relicta, apud Patrem fruar gloria coelesti, omnes ad me traham*" [3]). IESUM autem hoc enuntiare non potuisse, nisi mors, quae ad Patrem ipsum duceret, ei ante oculos ob-

---

[1]) Cf. WERNINK l. c. p. 146: „De Heer verklaart hier immers wat hij, *als de ὕψωσις zal hebben plaats gegrepen,* doen zal."

[2]) Cf. *Mtth.* V. 13. IX. 21. *Mrc.* III. 25. *Ioh.* VI. 51. VIII. 55. X. 9. XI. 40. XIV. 3. XVI. 7. *Rom.* VII. 3. 1 *Cor.* VIII. 10. 2 *Cor.* X. 8. XII. 6. XIII. 2. 1 *Ioh.* V. 16. 3 *Ioh.* 10.

[3]) L. c. p. 136.

versaretur, res quidem ipsa loquitur, sed illud in censum non venit, ubi quaestio est, quid *verba illa* significent [1]). Quod vero Euangelistam attinet, hic allegorica, quam amat, usus ratione, altiorem iis tribuit sensum [2]). Imprimis hic animadvertendum est ad usum verbi *σημαίνειν*, cuius prima notio est *signum dare*, e. g.: *σημαίνειν κατάζευξιν*, *signum ponendis castris dare*. Porro autem significat etiam *subobscuris notis indicare* [3]), ut EURIP. *Rhes.* 754: Τάδ' *οὐκ ἐν αἰνιγμοῖσι σημαίνεις κακά*, et *Herc. fur.* 1218: Τί *μοι προσείων χεῖρα σημαίνεις φόνον* [4]). Inde forma Media *σημαίνομαι* significat *e signis quibusdam colligo*, ut

---

1) Idem valet de Cap. VIII. 28.

2) Recte SCHWEIZERUS l. c. p. 209 sq.: Es scheint also erst dem Evangelisten hat, bei seiner Neigung zu sinnigen Anspielungen ex eventu der Ausdruck *ὑψωθῆναι* merkwürdig geschienen, als zugleich auf's Kreuz deutend, das ja nachher wirklich das Mittel zu Jesu Verherrlichung geworden. Darum fügt er V. 33 diese Deutung, eben weil sie sich im Ausdrucke nicht von selbst versteht, als ex eventu erschlossen hinzu, in der sinnigen Weise, wie Johannes doppelsinnige oder doppeldeutige Worte auch sonst benutzt.

3) Cf. EICHHORN. *Comm. in Apoc. Ioannis*, p. 8, ubi legimus: *Σημαίνειν est parabolice aliquid et aenigmatice exprimere, figuris et symbolis subobscure aliquid indicare.*

4) Cf. XEN. *Anab.* VI. 1, 24. *Cyrop.* I. 6, 2. VIII. 7, 3. THEOCR. XXII. 22. STEPHANUS. *Thes. Gr. Ling.* Ed. HAS. et DIND. in voce. In memoriam etiam revocetur usus Grammaticorum, a quibus *τὸ σημαινόμενον* dicitur id, quod in oratione vocis alicuius notioni ex circumiectis adiicitur.

aeque ac Graeco ὑψοῦν, duplex inest significatio. Itaque ipsa haec verba nihil efficiunt, sed alia circumspicienda sunt indicia, unde sciamus, quid IESUS sibi voluerit. Primum ad contextam orationem nos convertamus. Legimus v. 31: Νῦν κρίσις ἐστὶ τοῦ κόσμου τούτου. Denotatur iudicium mundi peccatis dediti et a Deo abalienati. Quis autem huius iudicii erit effectus? De mundi potentia actum erit; sequitur enim: Νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω [1]), i. e. expelletur Satanas e regno suo. Iam quae his, v. 32, a IESU adiecta sunt: Κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας [2]) ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν, non inserviunt ad excludendam mortem eius, quippe in qua finis esset dominationis mali hoc in mundo simulque initium splendoris regni Divini; sed dummodo sumamus mortem *publice testatam*, quid tandem est, quod sigillatim in censum veniat supplicium *crucis?* Oratio igitur contexta non postulat, ut verba IESU ad

---

quidem ἀπελθεῖν, ὑπάγειν, χωρίζεσθαι, qualicunque tandem modo discessio fit. Cf. Cl. SCHOLTEN l. c. p. 136 sqq.

1) Cf. Cap. VI. 37. IX. 34, 35. XV. 6

2) Non tantum Iudaeos significare videtur, sed homines etiam ex gentibus exteris ortos. Cf. v. 20 sqq. XI. 52. ERASMUS: *Non modo Iudaeos, verum etiam Graecos ac Barbaros.* GROTIUS: *Intellige non Iudaeos tantum, sed et alienigenas.* CLARIUS: *Intellige non Iudaeos solum, sed omne hominum genus.* .

huius mortis poenam referantur. Praeterea recte mihi LÜCKIUS Antithesin quamdam tribuisse videtur verbis ἐκβληθῆναι et ὑψωθῆναι. Atqui quum illud lapsum Satanae denotet, nonne hoc indicetur oportet CHRISTUM ad gloriam evectum iri, ut ei cogitando addendum sit τῇ δεξίᾳ τοῦ Θεοῦ [1])? Porro connexum ἐκ τῆς γῆς minus favet iis, qui *crucem* intelligunt [2]). Illud enim ita comparatum est, ut apprime conveniat cum formulis ὑπάγειν πρὸς τὸν Πατέρα, δοξασθῆναι, ὑψωθῆναι τῇ δεξίᾳ τοῦ Θεοῦ [3]), quare crucis supplicium vix aut ne vix quidem lectori in mentem veniret, nisi adiecta esset annotatio v. 33 [4]). Denique illud πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν non est actio propria CHRISTI cruci affixi, sed CHRISTI gloriam coelestem adepti, triumphantis, regnantis. — At vel sic tamen, inquiunt, verbum ὑψωθῆναι corpus ad crucem elevatum significare potest. Nam quum diceret IESUS ἐὰν ὑψωθῶ, non sibi voluit: *dum ex cruce pendebo*, sed:

---

1) Cf. *Act.* II. 33. V. 31.
2) Cf. WERNINK l. c. p. 150.
3) Cf. DE WETTE ad h. l.
4) Oleum et operam perdere mihi videntur, qui discrimen hîc urgent Particularum ἐκ et ἀπό. Nam IESUS verosimiliter usus est Aramaea מִן (Peschito ܡܢ ܐܪܥܐ), cui utraque Graeca respondet. Cf. *Gen.* XII. 1 et *Exod.* XV. 22 coll. LXX.

postquam cruci affixus fuero [1]). At quisque, nisi fallor, videbit, multo melius in sequentia πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν quadrare interpretationem: *quum in coelos sublatus ero.* Hac enim interpretatione IESUS inducitur id enuntians, quod dissentientes orationi cogitando adiici iubent. Deinde vehementer dubito, num horum virorum explicationem loquendi usus tueatur. Nimirum ubi in Protasi exstat coniunctio ἐάν cum Coniunctivo Aoristi, et in Apodosi sequitur Futurum, actiones per Coniunctivum et per Futurum propositae, si ad unum idemque Subiectum referendae sunt, ita cohaerent, ut alteram altera continuo excipiat [2]).

Quibus omnibus consideratis, prorsus assentior Cl. SCHOLTENIO monenti: „Si quaeritur quid *verba* IESU *dicant*, sensus iis hic inest: *quum, terra relicta, apud Patrem fruar gloria coelesti, omnes ad me traham*" [3]). IESUM autem hoc enuntiare non potuisse, nisi mors, quae ad Patrem ipsum duceret, ei ante oculos ob-

---

[1]) Cf. WERNINK l. c. p. 146: „De Heer verklaart hier immers wat hij, *als de ὕψωσις zal hebben plaats gegrepen,* doen zal."

[2]) Cf. *Mtth.* V. 13. IX. 21. *Mrc.* III. 25. *Ioh.* VI. 51. VIII. 55. X. 9. XI. 40. XIV. 3. XVI. 7. *Rom.* VII. 3. 1 *Cor.* VIII. 10. 2 *Cor.* X. 8. XII. 6. XIII. 2. 1 *Ioh.* V. 16. 3 *Ioh.* 10.

[3]) L. c. p. 136.

versaretur, res quidem ipsa loquitur, sed illud in censum non venit, ubi quaestio est, quid *verba illa* significent [1]). Quod vero Euangelistam attinet, hic allegorica, quam amat, usus ratione, altiorem iis tribuit sensum [2]). Imprimis hic animadvertendum est ad usum verbi *σημαίνειν*, cuius prima notio est *signum dare*, e. g.: *σημαίνειν κατάζευξιν*, *signum ponendis castris dare.* Porro autem significat etiam *subobscuris notis indicare* [3]), ut EURIP. *Rhes.* 754: *Τάδ' οὐκ ἐν αἰνιγμοῖσι σημαίνεις κακά*, et *Herc. fur.* 1218: *Τί μοι προσείων χεῖρα σημαίνεις φόνον* [4]). Inde forma Media *σημαίνομαι* significat *e signis quibusdam colligo*, ut

---

1) Idem valet de Cap. VIII. 28.

2) Recte SCHWEIZERUS l. c. p. 209 sq.: Es scheint also erst dem Evangelisten hat, bei seiner Neigung zu sinnigen Anspielungen ex eventu der Ausdruck *ὑψωθῆναι* merkwürdig geschienen, als zugleich auf's Kreuz deutend, das ja nachher wirklich das Mittel zu Jesu Verherrlichung geworden. Darum fügt er V. 33 diese Deutung, eben weil sie sich im Ausdrucke nicht von selbst versteht, als ex eventu erschlossen hinzu, in der sinnigen Weise, wie Johannes doppelsinnige oder doppeldeutige Worte auch sonst benutzt.

3) Cf. EICHHORN. *Comm. in Apoc. Ioannis*, p. 8, ubi legimus: *Σημαίνειν est parabolice aliquid et aenigmatice exprimere, figuris et symbolis subobscure aliquid indicare.*

4) Cf. XEN. *Anab.* VI. 1, 24. *Cyrop.* I. 6, 2. VIII. 7, 3. THEOCR. XXII. 22. STEPHANUS. *Thes. Gr. Ling.* Ed. HAS. et DIND. in voce. In memoriam etiam revocetur usus Grammaticorum, a quibus *τὸ σημαινόμενον* dicitur id, quod in oratione vocis alicuius notioni ex circumiectis adiicitur.

SOPH. *Ai.* 32, ubi ad versum *κατ' ἴχνος ᾄσσω, καὶ τὰ μὲν σημαίνομαι* annotavit Scholiasta: *Διὰ σημείων γινώσκω· οἷον σημεῖα ἐμαυτῷ τινα συντίθημι ἀπὸ τοῦ ἴχνους* [1]).

---

[1]) Cf. OPPIAN. *Cyn.* I. 454. SYNES. *De Insomn.*

Ioh. XIII. 11.

Ἤιδει γὰρ τὸν παραδιδόντα αὐτόν· διὰ τοῦτο εἶπεν, ὅτι οὐχὶ πάντες καθαροί ἐστε.

Quum iesus in discipulorum pedibus lavandis ad petrum pervenisset, gravi admonitione opus erat, ut fervido inconsultoque viro persuaderetur, ne se Magistro suo opponeret, officium discipulo praestare volenti. Homini vehementer resistenti dicit iesus, v. 8: *Ἐὰν μὴ νίψω σε, οὐκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ*, quo audito, in id quod non minus importunum est ruens, exclamat, v. 9: *Κύριε, μὴ τοὺς πόδας μου μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰς χεῖρας καὶ τὴν κεφαλήν.* Respondet iesus, v. 10: *Ὁ λελουμένος οὐκ ἔχει χρείαν ἢ τοὺς πόδας νίψασθαι, ἀλλ' ἔστι καθαρὸς ὅλος· καὶ ὑμεῖς καθαροί ἐστε, ἀλλ' οὐχὶ πάντες.* Quae exceptio quid sibi vellet, praesentes latebat; nam iesum, v. 21, dicentem audientes: *εἷς ἐξ ὑμῶν παραδώσει με*, discipuli stupefacti

anxie quaerunt, quis futurus sit iste proditor, ipseque IOHANNES, PETRO innuente, rogat, v. 25: Κύριε, τίς ἐστιν [1])? Postea vero, re perspecta, recte omnino IOHANNES causam, cur IESUS illud οὐχὶ πάντες adiecisset, in eo invenit, quod illi IUDAS ante oculos obversaretur. Hoc tam in promtu est, ut cuique lectori proditoris veniret in mentem, etiamsi Euangelista ad IESU dictum nihil annotasset. Neque hic locus difficultatibus laborat, qualibus similem annotationem, Cap. VI. 64, premi vidimus supra. IESUM nunc, vitae suae exitu iamiam instante, scivisse quid IUDAS moliretur [2]), mirandum sane non est. Paulo post, v. 18, ipse dixit: ἐγὼ οἶδα οὓς ἐξελεξάμην, *novi quosnam comites mihi elegerim, neminis me latet animus.*

Ceterum attendendum videtur ad agendi rationem, quae in IESU cernitur. Nimirum omnia eum egisse apparet, ut IUDAE animum moveret eumque in melius converteret. Huius quoque lavit pedes. Hunc significans monuit, v. 10: ὑμεῖς καθαροί ἐστε, ἀλλ' οὐχὶ πάντες, et v. 18:

---

[1]) Cf. BREUNISSEN TROOST l. c. p. 31.

[2]) Scripsit IOHANNES: τὸν παραδιδόντα αὐτόν. Hîc igitur revera sensum habemus, quem verbo μέλλειν, Cap. VI. 71, inesse, contra MEYERUM, negavi: *er ging damit um ihn auszuliefern.* Cf. v. 2. Participii notio hîc proxime accedit ad notionem Nominis Substantivi. Cf. WIN. *Gr.* § 46. p. 403 sq.

οὐ περὶ πάντων ὑμῶν λέγω· — ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον, ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ. Huius famae ut parceret, ad finem usque nomen eius reticuit, et signo tantum soli IOHANNI indicavit, IUDAM esse, quem spectaret [1]. Atque haec singula egregie confirmare mihi videntur ea, quae supra de consuetudine, quam IESUS cum IUDA habuit, in medium attuli.

---

1) Nempe IOHANNES non interrogavit IESUM alta voce, neque alta voce IESUS ei respondit (v. 25, 26). Animadvertantur verba *ἀναπεσὼν ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ*, uti etiam v. 28 et 29. Cf. LÜCKE ad h. l. p. 566. BREUNISSEN TROOST l. c. Haud scio igitur, an satis certum sit, quod dubitanter scripsit LÜCKIUS (l. c. p. 568): Vielleicht hörte ausser Johannes Niemand die Bezeichnung des Verräthers; Johannes aber ahnte die *Nähe* der Katastrophe nicht. Vid. etiam v. OOSTERZEE l. c. III. 166.

Ioh. XVIII. 9.

Ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος ὃν εἶπεν, ὅτι οὓς δέδωκάς μοι, οὐκ ἀπώλεσα ἐξ αὐτῶν οὐδένα.

Verba IESU, ad quae IOHANNES respicit, leguntur Cap. XVII. 12: *Ὅτε ἤμην μετ᾽ αὐτῶν, ἐγὼ ἐτήρουν αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου, οὓς (ᾧ) δέδωκάς μοι, καὶ ἐφύλαξα, καὶ οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν ἀπώλετο, εἰ μὴ ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ.* Iam IESUM hoc sibi velle, se curasse ne hanc in perniciem inciderent discipuli, ut desciscerent a fide, et ex verbis: *ἐτήρουν αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου* (cf. v. 15: *ἵνα τηρήσῃς αὐτοὺς ἐκ τοῦ πονηροῦ*), et e commemoratione *τοῦ υἱοῦ τῆς ἀπωλείας* (cf. 2 *Thess.* II. 3. *Ies.* LVII. 4. secundum LXX.) et ex tota oratione contexta intelligitur. Videamus nunc, quamnam ad rem Euangelista dictum illud IESU applicet. Appropinquanti igitur turbae militum et ministrorum Synedrii obviam it IESUS eosque

rogat: Τίνα ζητεῖτε? Respondent se quaerere IESUM Nazarenum. Tum ille, Ἐγώ εἰμι, inquit. Hoc autem audito homines perterriti humi prosternuntur [1]). Mox IESUS repetit quod rogavit antea, illi iterum se IESUM Nazarenum quaerere aiunt. Tum IESUS: Εἶπον ὑμῖν ὅτι ἐγώ εἰμι· εἰ οὖν ἐμὲ ζητεῖτε, ἄφετε τούτους ὑπάγειν, et ita quidem manu discipulos monstrans prohibet igitur, ne illi secum captivi abducantur. Huc autem quum IOHANNES referat dictum IESU: οὓς δέδωκάς μοι, οὐκ ἀπώλεσα ἐξ αὐτῶν οὐδένα, ineptissimam Euange-

---

[1]) Recte ULLMANNNUS (l. c. p. 42 sq.) illud ἐγώ εἰμι sic explicat: Worte des Lebens und der Kraft, schon an und für sich tiefwirksam, aber vollends unwiderstehlich durch den Ausdruck persönlicher Hoheit, der von dem Bilde Jesu, wie es die Evangelien geben, untrennbar ist. Cf. II. 15, 16. VII. 46 et exempla M. ANTONII et MARII apud VALER. MAX. VIII. 9, 2 et VELL. PAT. II. 19, 3. Vid. etiam THOLUCK ad h. l. sed coll. STRAUSSIO l. c. p. 458. KRUMMACHER. *Hist. en Aesth. Besch. van den geest en form der Euang. Gesch.* T. I. p. 101, 102. Secundum MEYERUM ac STRAUSSIUM (nec valde dissentit BRÜCKNERUS) auctor miraculum, vere ita dictum, narrare voluit. Contendunt autem illi totam hominum multitudinem in terram cecidisse (MEYERUS: *Alle ohne Ausnahme*, — STRAUSSIUS: *Ein ganzes Detachement von Gerichtsdienern und Soldaten*). Sed ita sumitur quod probari nequit. In aliis etiam locis generatim dicitur id, quod unum vel nonnullos tantum spectat. Exemplum petam ex hoc ipso Capite ubi v. 5, 30, 31 ad unum vel paucos tantum referendum est, quod verbis ἀπεκρίθησαν et εἶπον denotatur. Praeterea Viros Doctos fugisse videtur mos Euangelistae usitatus, expresse indicandi, quaenam IESU facta haberet miracula. Cf. II. 11. IV. 54. V. 9. VI. 14. IX. 16. XI. 47. Fieri etiam potuit, ut turbae, nescienti quis capiendus esset (cf. *Mtth.* XXVI. 48. *Mrc.* XIV. 44), terror incuteretur eo, quod se ultro IESUS offerret.

listae annotationem censet STRAUSSIUS [1]). Sed primum animadvertendum puto, IOHANNEM dictum IESU minus quoad literam quam quoad sensum, neque integrum attulisse, sed tantum quatenus ad *undecim* discipulos, memoria IUDAE (τοῦ υἱοῦ τῆς ἀπωλείας) praetermissa, pertineret. Deinde IOHANNES, incipiens a verbis ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος ὃν εἶπε, significasse videtur, IESUM fecisse, ut dictum suum ab omni parte ratum fieret. Opportune iam CALVINUS monuit: CHRISTUS *illis ad tempus parcens aeternae eorum saluti consuluit.* Quod THOMAS et PETRUS dixisse feruntur (Cap. XI. 16. XVIII. 37.), se ad mortem cum Magistro subeundam paratos esse, haud minus in ceterorum animos quadrat; sed iure quaeritur, num illi homines pares iam et idonei fuerint ad constantiam suam mediis in periculis probandam atque id praestandum, quod verbis essent polliciti. Quis hoc crediderit memoriam repetens PETRI, coram ancilla trepidantis et iterum iterumque se IESUM novisse negantis? Adspectabili IESU

---

[1]) L. c. p. 459: Nachdem hierauf der Verfasser einen früher richtiger auf die geistige Bewahrung seiner Schüler bezogenen Ausspruch Jesu, das er keinen der ihm von Gott Anvertrauten verloren habe, *sehr unpassend* in der Sorgfallt erfüllt gefunden, welche Jesus angewendet habe dass seine Jünger nicht mit ihm verhaftet würden, u. s. w.

praesentia freti facere nondum poterant, quod postea demum, quum ille abiisset, et Paracletus eius loco venisset, facere didicerunt. Itaque revera metuendum erat, ne vinculis onerati et cum IESU abducti, a fide desciscerent, quod uti nobis perspicuum est, sic multo magis IOHANNI Euangelistae ante oculos fuisse, res ipsa loquitur. Quapropter nulla causa est, cur, cum SCHWEIZERO [1]), hunc locum, tamquam IOHANNE indignum, alienae manui tribuamus.

---

[1]) L. c. p. 63: Neben die ächt Johannäischen, geistvollen ἵνα πληρωθῇ, z. B. XIII. 18. XVIII. 32, gestellt, verräth sich XVIII. 9 als eine Combination niedrigern Geistes. Cf. p. 174: Hier folgt nun die warscheinlich unjohannäische Einschaltung, v. 9.

Ioh. XXI. 19a.

Τοῦτο δὲ εἶπε σημαίνων ποίῳ θανάτῳ δοξάσει τὸν Θεόν.

Quum IESUS in litore maris Tiberiados cum quibusdam e discipulis suis prandisset, PETRO proposuit quaestionem: Σίμων Ἰωνᾶ (vel ut habet TISCHENDORFIUS Ἰωάννου) ἀγαπᾷς με πλέον τούτων [1]); demta comparatione mox eam repetiit, tertio utrique haud dissimilem φιλεῖς με adiecit. Bis PETRUS respondit: Ναὶ Κύριε, σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε; tum asseveratione usus dixit: Κύριε, σὺ πάντα οἶδας· σὺ γινώσκεις ὅτι φιλῶ σε. Professionem eius ter excepit mandatum IESU, eo rediens, ut discipulo sectatorum suorum curam committeret. Quod quum faceret, molestias praevidit et

---

[1]) Id est: ἢ ταῦτα. Cf. Cl. v. HENGEL. *Betoog dat de vraag* cet. in Opere: *Bijdr. tot bev. van Bijb. uitlegk.* T. IV. p. 283 sqq. Item *De betrekking van het gevoel* cet. p. 206 sqq.

aerumnas, quae PETRUM huic mandato obedientem manerent. Ergo hac de re eum sic praemonuit, v. 18: Ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω σοι, ὅτε ἦς νεώτερος ἐζώννυες σεαυτὸν καὶ περιεπάτεις ὅπου ἤθελες· ὅταν δὲ γηράσῃς, ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου, καὶ ἄλλος σε ζώσει, καὶ οἴσει ὅπου οὐ θέλεις. Prius huius versus membrum, *ἀμὴν — ἤθελες*, satis facile est explicatu. Ante oculos nobis ponit PETRUM iuvenem, integris viribus plenaque libertate fruentem. Sed quid sibi velit posterius, magna inter Viros Doctos lis est. OLSHAUSENIUS utroque *iuventutem* et *senectutem in vita spirituali* comprehendi dixit [1]). Sed ipsa, quibus IESUS utitur, verba tam clare, opinor, res in oculos cadentes spectant, ut ab eo discedere debeamus, nisi sensum in orationem importare malimus, quam ex verbis eruere. Nec magis placet frigida interpretatio aliorum (GURLITT, PAULUS, STRAUSS), qui dictum IESU simplicitur referunt ad consuetam senectutis imbecillitatem. Nam

---

1) L. c. p. 599: In der Fülle der geistigen Kraft waltete Petrus frisch und kräftig, wie ihm gut dünkte; im Alter aber ward er vielfach gehemmt, hart verfolgt und genöthigt wider Willen da und dort thätig zu werden. Diese Führungen hatten einen pädagogischen Zweck; sie sollten den Jünger willenlos machen, aller Eigenheit entkleiden. Die Spitze dieser Uebungen war der Kreuzestod Petri, bei dem sich das buchstäblich erfüllte, was lange im allgemeinern Sinne für ihn gegolten hatte.

quid tandem IESUM movisset ad illud PETRO dicendum, ceteris discipulis non item, intelligi nequit. Nec sane sententiae tam vulgari accommodata est gravis illa formula: *ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω σοι* [1]). WETTIUS et LÜCKIUS verbis *ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου* proponi existimant *manus in cruce extensas;* tum sequentia: *ἄλλος σε ζώσει*, iis iudicibus, significant: *alius lumbos tuos linteo cinget* [2]), aut: *alius vinculis te alligabit ad crucem* [3]). Verbis denique: *καὶ οἴσει ὅπου οὐ θέλεις* hunc sensum tribuunt: *abducet te ad necem.* Sed varia obstant, quominus huic explicationi calculum adiicere possim. Primo sic ineptam habemus traiectionem verborum (Hysteronproteron) [4]), quam frustra tueri conatur BRÜCKNERUS [5]). Deinde haec interpretatio omnia

---

[1]) Hac formula IESUS tantum uti solebat, ubi gravem orationem habiturus erat. Vid. I. 52. III. 3, 5, 11. V. 19. VI. 47. VIII. 34. X. 7. XII. 24. XIII. 38. XIV. 12. XVI. 20, alibi.

[2]) Provocant ad *Euang. Nicod.* X: *Ἐξέδυσαν οἱ στρατιῶται τὸν Ἰησοῦν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ καὶ περιέζωσαν αὐτὸν λεντίῳ.* Sed aliunde non apparet, hunc morem receptum fuisse. Cf. WIN. *Realw.* I. 678. (*Kreuzigung*) Ann. 1.

[3]) TERTULL. *Scorp.* Cap. 15: *Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur.*

[4]) Cf. STRAUSS l. c. T. II. p. 611. SCHWEIZER l. c. p. 123. Illud Hysteronproteron quodammodo tolleretur, si sumi posset, damnatos olim ad crucem affixos fuisse *humi iacentem;* sed recte monuit LÜCKIUS hoc pugnare cum Archaeologiae testimoniis. Cf. WIN. l. c. I. 678.

[5]) L. c. p. 299. Omnino hic conferri meretur WIN. *Gr.* § 65. p. 637.

fere pendentia facit a verbis: *ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου* [1]; quae tantum inservire videntur ad illustranda sequentia *ἄλλος σε ζώσει*; uti iam intelligimus ex oppositis: *ὅτε ἦς νεώτερος* et *ὅταν δὲ γηράσῃς*, — *ἐζώννυες σεαυτόν* et *ἄλλος σε ζώσει*, — *περιεπάτεις ὅπου ἤθελες* et *οἴσει ὅπου οὐ θέλεις*. Denique interpretationi illi minus favet verbum Activum *ἐκτενεῖς*. – Multo probabilior est sententia MEYERI, IESU verba sic explicantis: *porriges manus tuas* (quae vinculis onerentur), *et alius* (in cuius eris potestate) *cinget te* (catenis vel vinculis) [2]) *et eo te ducet, quo non optaveris* (in locum supplicii). Equidem tamen postrema ad *carcerem* referre malo, quam ad *locum supplicii*. Nec valde me perturbat LÜCKII contradictio, probari non posse notionem, quam MEYERUS formulae *ἐκτείνειν τὰς χεῖρας* tribuat, nisi huc convertere velis illud Latinorum: *manus dare*. Provocare possem ad Hebraeum נָתַן יָד, e. g. *Ier.* L. 15. 2 *Chron.* XXX. 8. *Thren.* V. 6, sed dubito an opus sit. Verba nempe *ἐκτείνειν τὰς χεῖρας* significant *extendere, porrigere manus*. Hoc autem quo-

1) BRÜCKNERUS eo procedit, ut scribat: Die Kreuzigung, das Ausstrecken der Hände stellt J. voran, weil sie es ist, die er voraussagen will, sie hat den Nachdruck. L. c. p. 299.

2) Simili modo KUINOELIUS, qui tamen nequidquam provocat ad *Act.* XXI. 11, unde suae sententiae praesidium petat.

modo accipiendum sit, oratio contexta ostendere debet. Aiunt quidem, verbis illis contineri formulam de iis, qui cruci affigerentur, usurpari solitam, sed vereor, ne levior sit haec asseveratio. Ex loco saltem, quem attulit LÜCKIUS [1]), hoc effici nequaquam potest; nam ibi non legitur *ἐκτείνας τὰς χεῖράς σου*, sed *ἐκτείνας σεαυτόν*; neque WETSTENIUS, ab eo laudatus, habet quod maioris ponderis est. Iam his omnibus consideratis existimo, IESUM verbis illis praedixisse PETRO vincula et carceres, quemadmodum generatim omnibus discipulis dixerat: *Εἰ ἐμὲ ἐδίωξαν, καὶ ὑμᾶς διώξουσιν* (Cap. XV. 20) [2]). Quum autem sub NERONE PETRUS in cruce mortuus esset [3]), auctori haud difficile erat, verba IESU per allegoricam interpretationem ad mortem illam referre [4]).

Nunc vero incidimus in quaestionem, quae, quamquam diutius nos detinebit, intacta tamen relin-

---

1) L. c. T. II. p. 817.

2) Cf. *Mtth.* XXIV. 9. *Luc.* IX. 23. XIV. 25 sqq. *Ioh.* XVI. 33.

3) EUSEB. *H. E.* II. 25. III. 1. TERTULL. *De praescript.* Cap. 36. GIESELER. *Kirchengesch.* Ed. 3. T. I. p. 92.

4) THEOPHYLACT.: *Αἰνίττεται δὲ αὐτῷ, ὅτι σταυρωθήσεται καὶ αὐτός. — Τὸ γὰρ ἐκτενεῖς τὰς χεῖρας καὶ ἄλλος σε ζώσει οὐδὲν ἕτερον ἢ τὴν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ ἔκτασιν καὶ τὰ δεσμὰ δηλοῖ.* Obiter moneo, THEOPHYLACTUM recte accepisse verbum *σημαίνειν* reddendo eo *αἰνίττεται*. Cff. quae disputavi ad Cap. XII. 33, p. 53 sq.

quenda non videtur, nempe de huius loci authentia. WETTIUS hunc versum post PETRI mortem scriptum arbitratur [1]). Lubenter concedo, sed inde non sequitur, IOHANNEM eius auctorem non esse, quippe qui novissimus omnium Euangelium suum conscripserit [2]). Praeterea a veri simili non abhorret, aliquanto postea demum in lucem prodiisse Appendicem, quam Cap. XXI continet [3]). Haud maiorem difficultatem pariunt verba δοξάσει τὸν Θεόν. Putat quidem LÜCKIUS [4]), formulam ecclesiasticam recentioris aetatis in iis cerni, quae idem significet atque *martyrium subire*. Verum subdubito, num hoc recte statuatur. Ex locis saltem, quos afferre solent [5]), nequaquam illud elucet.

---

1) *Einl. in d. N. T.* Ed. V. p. 220.

2) Cf. EUSEB. *H. E.* III. 24, ubi legimus: Ἤδη δὲ Μάρκου καὶ Λουκᾶ τῶν κατ' αὐτοὺς εὐαγγελίων τὴν ἔκδοσιν πεποιημένων, Ἰωάννην φασί, τὸν πάντα χρόνον ἀγράφῳ κεχρημένον κηρύγματι, τέλος καὶ ἐπὶ τὴν γραφὴν ἐλθεῖν. HIERON. *Catal. script. eccl.* Cap. 9: IOHANNES Apostolus — novissimus omnium scripsit euangelium. Vid. etiam IREN. *Haer.* III. 1. EUSEB. *H. E.* V. 8. EPIPHAN. *Haer.* 51, 19. MEYER. l. c. p. 17. LÜCKE. l. c. T. I. p. 162. 167. NIERMEYER. *Over de Johanneïsche Schriften.* p. 292 sqq.

3) Cf. MEYER. l. c. p. 287 sq.

4) L. c. T. II. p. 818: Der Ausdruck θανάτῳ δοξάσει τὸν θεόν *scheint* Iohanneisch, gehört aber in der That der späteren kirchlichen Gräcität an, als eine eigenthümliche Bezeichnung des *Märtyrertodes.*

5) SUICERUS. *Thes. eccl.* in voce, ubi dicitur, in Martyrologiis verbum δοξάζεσθαι idem significare atque τελειοῦσθαι, neque aliud docemur ab HEINSIO, *Aristarch* Cap. XXII. p. 408.

In iis enim martyres dicuntur δοξάζεσθαι, non vero Deus per martyres [1]). Sed etiamsi ratiocinationem illam admittam, quidni statui possit, iam aetate IOHANNIS formulam hanc invaluisse [2])? Quidni id, quod affert BAUMGARTEN-CRUSIUS, eam e recentiori Graecismo fortasse in hunc locum irrepsisse, invertere liceat et sumere, eam ex hoc loco in scripta ecclesiastica translatam esse? Utique dubitandum non est, quin verbum δοξάζειν h. l. idem plane significet atque e. g. Cap. XII. 28. XVII. 1, 4. i. e. *illustrabit Deum.* Ceterum interpretatio, qualem versu 19 legimus, plane congruit cum aliis huius Euangelii locis, quos supra tractavimus. Itaque vs. 19 talis ipse non est, ut iure suo manus alienae moveat suspicionem.

Vel sic tamen nihil lucramur, si verum est, quod multi, praeeunte GROTIO, contendunt, *totum* Cap. XXI. profectum esse a falsario [3]).

Primum hoc constat, argumenta, quae dicuntur,

---

1) Itaque argumentum illud potius valeret contra Cap. VII. 39. XII. 16, 23, 28. XVII. 1.

2) WETTIUS, quamquam cum LÜCKIO consentire malebat, scripsit tamen l. c. p. 300: *δοξάσει τὸν θεόν kann* Johann. sein.

3) Scriptores ab alterutra parte stantes recensent WETTIUS (*Einl.* p. 220 sq.), SCHOTTUS (*Isagoge Historico-Crit. in libros N. T. sacros.* p. 164), CREDNERUS (*Einl. in das N. T.* T. I. p. 234). Addatur REDDINGIUS. *Disputatio de Authentia capitis ultimi Euangelii Iohannis.*

externa ad unum omnia testificari authentiam huius Capitis [1]). Videndum igitur est, an interna sint eiusmodi, ut externorum vim infringere valeant.

Quod stilum attinet, concedo, nonnulla hîc se offerre, quae a consueta IOHANNIS scriptione magis minusve recedant. Huc referunt verba ἐπὶ τῆς θαλάσσης (pro ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ; coll. IV. 6. V. 2) v. 1; οἱ τοῦ Ζεβεδαίου, v. 2; πρωΐα, v. 4; παίδια [2]), v. 5; ἐπενδύτης, v. 7; τολμᾶν, ἐξετάζειν (pro ἐρωτᾶν) v. 12; φέρειν (pro ἄγειν) v. 18; ἐπιστραφείς, v. 20; ἕως ἔρχομαι, v. 22. Sed quae ex his petuntur dubia, partim leviora sunt, partim disputationi obnoxia. Et generatim quisque novit, nullum fere N. Ti Caput excitari posse, quin verba contineat alibi non reperiunda. Praeterea multa habeo, quae huic contradictioni opponam. Videlicet sententiae inter se non copulatae, ut in IOHANNIS Euangelio frequentes sunt, ita etiam inveniuntur v. 3, 5, 10, 11, 12, 13, 15, 16, 17, 22. Saepe IOHANNES uti solet Particula οὖν, quae itidem exstat v. 5, 6, 7, 9, 13, 15, 23. Porro se-

---

1) Provocat LÜCKIUS (l. c. T. II. p. 826 sq.) ad silentium IRENAEI, quod tamen parvi ponderis esse ipse confitetur.

2) Quid sibi voluerit LÜCKIUS (l. c. T. II. p. 807) monens: *Ioh. hat im Ev. immer τέκνια,* equidem non intelligo, quoniam ibi tantum *semel* (Cap. XIII. 33) vocabulum illud exstat.

quentia notentur: vocabulum *οὐδέν*, verbo, v. 3, postpositum, uti III. 27. V. 19, 30. VI. 63. VIII. 28. IX. 33. X. 41. XI. 49. XII. 19. XIV. 30. XV. 5. XVI. 23. XVIII. 20. — Coniunctio *μέντοι*, v. 4, sed etiam IV. 27. VII. 13. XII. 42. XX. 5; — verbum *φανεροῦν*, v. 1, similiter I. 31. II. 11. III. 21. IX. 3. XVII. 6, praesertim VII. 4; — appellatio *ὁ* Κύριος aeque, v. 7, 12, ac IV. 1. VI. 23. XI. 2. XX. 2, 13, 18, 20, 25; — verbum *δοξάζειν*, v. 19, crebro a IOHANNE usurpatum, nempe VII. 39. VIII. 54. XI. 4. XII. 16, 23, 28. XIII. 31, 32. XIV. 13. XV. 8. XVI. 14. XVII. 1, 4, 5, 10; — verbum *πιάζειν*, v. 3, quod apud Synopticos frustra quaeritur, apud IOHANNEM, VII. 30, 32, 44. VIII. 20. X. 39. XI. 57, non item; — nomina Σίμων Πέτρος quemadmodum v. 2, sic etiam I. 41. VI. 8, 68. XIII. 6, 9, 24, 36. XVIII. 10, 15, 25. XX. 2, 6 coniuncta; — vocabulum *ὡς*, Numeralibus, v. 8, et haud secus I. 40, IV. 6. VI. 19. XI. 18. XIX. 14, 39 antepositum. — Imprimis animadvertantur quae apud *solum* IOHANNEM leguntur, nempe: *ὀψάριον*, v. 9, 10, 13 et VI. 9, 11; — *διαζώννυμι*, v. 7 et XIII. 4, 5; — *ἀνθρακιά* v. 9 et XVIII. 18; — *στῆναι εἰς*, v. 4 et XX. 19, 26; — *ἡ θάλασσα τῆς* Τιβεριάδος, v. 1 et VI. 1; — nomina Δίδυμος

et Ναθαναήλ, v. 2, et alterum XI. 16. XX. 24, alterum I. 46, 47, 48, 49, 50; — repetitum ἀμήν, v. 18 et I. 52. cet.

A singulis verbis transeamus ad sententias. Annotationes: ἦν γὰρ γύμνος, v. 7, et οὐ γὰρ ἦσαν μακρὰν ἀπὸ τῆς γῆς, v. 8, plane redolent stilum IOHANNIS; cf. II. 9. III. 24. IV. 2, 8, 9. VII. 5. XI. 18, 30. XII. 43. XIX. 31. Verba βάλετε — ἔβαλον οὖν, v. 6, conveniunt cum scriptione VI. 10, item 12, 13. XX 11. Eiusdem accuratae temporum, uti etiam numerorum notationis, quae v. 4, 8, 11 exstat, vestigia apparent I. 29, 35, 40, 44. II. 1. III. 2. IV. 40, 43. VI. 16, 17, 19. VII. 14, 37. XI. 6, 17. XII. 5, 12. XX. 19, 26. Similia formulae Κύριε, πάντα σὺ οἶδας, v. 17, reperimus II. 24, 25. IV. 29. VI. 61, 64, 70. XIII. 11. XVI. 30. XVIII. 4. Verba τοῦτο ἤδη τρίτον cet., v. 14, in memoriam revocant II. 11. IV. 54. Offendunt nonnullos verba ὃς καὶ ἀνέπεσεν cet. v. 20 [1]); sed quamquam concedo, alibi de discipulo IESU dilecto talem non fieri mentionem, notare tamen iuvabit, hoc ex quarti Euangelii indole esse, ut oratio respiciat ad narrationes praecedentes.

---

[1]) Cf. tamen MEYER ad h. l.

Cf. IV. 46. VI. 23. VII. 50. X. 40. XI. 2. XII. 1. XVIII. 9, 14, 26. XIX. 39.

Qui haec omnia perlustrat atque id tenet, quod supra iam attigi, Euangelio IOHANNIS ultimum Caput aliquanto postquam cetera conscripta essent, appendicis instar adiectum videri, is profecto in scribendi ratione non inveniet, quod iustam falsarii moveat suspicionem [1]). Sed nonnulla, quae res narratas magis spectant, examinanda supersunt.

1. Dicunt, IOHANNEM inducere non potuisse discipulos nunc in Galilaea versantes, quia hoc incurrat in mandatum, a IESU acceptum, ut manerent Hierosolymis, ubi etiam octavo die post IESU in vitam reditum congregati memorentur [2]). Sed loci ex quibus contradictionem petunt, *Luc.* XXIV. 49. *Act.* I. 4, urgeri nequeunt, nisi eos repugnantes facere velimus aliis. Nemini enim incognitum est, quod Genii coelestes mulieribus annuntiasse feruntur (*Mtth.* XXVIII.

---

[1]) Recte EICHHORNIUS (*Einl. in das N. T.* T. II. p. 217): Der Styl des Capitels ist wenigstens im Ganzen, dem übrigen Evangelium vollkommen gleich; und wenn es von einer andern Hand zugesetzt wäre, so müsste sie sehr geübt in Nachahmen einer fremden Schreibart gewesen sein, weil sie das Eigenthümliche in der Composition des Johannes so glücklich zu treffen gewusst hätte.

[2]) Cf. PAULUS. *Neues Repert. für bibl. u. morgenländ. Litter.* T. II. p. 327. *Memorab.* V. 176. LÜCKE l. c. T. II. p. 805. DE WETTE l. c. p. 295

7. *Mrc.* XVI. 7), IESUM, ex morte in vitam revocatum, in Galilaeam sectatores suos praecedere, ut ibi iis fiat adspectabilis. Hoc vero si eos non excitavit ad iter in Galilaeam statim suscipiendum, causas huius morae ignoramus. Aliunde (*Mtth.* XXVIII. 16) vero novimus, eos illam in regionem profectos esse, quod, ut IOHANNEM (XX. 26) cum MATTHAEO in concordiam redigamus, statuere debemus factum esse post octavum diem a IESU reditu in vitam. Neque aliud suadet narratio LUCAE. Quidni enim ibi memoratur quod a IESU propositum est discipulis, postquam ex Galilaea Hierosolyma redierant? Nam LUCAS, nulla temporis mutatione notata, orationem IESU v. 44 sqq. superioribus v. 36 sqq., continuo subiunxit, atque ita una serie comprehendit ea, quae ad varios dies pertinuerant. Ipse autem in *Actis* (I. 3) narrans: *Οἷς καὶ παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα μετὰ τὸ παθεῖν αὐτὸν ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις δι' ἡμερῶν τεσσεράκοντα, ὀπτανόμενος αὐτοῖς καὶ λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ*, satis perspicue indicavit, IESUM discipulos, ut eos regni coelestis indolem edoceret, saepius convenisse, quam in Euangelio suo tradidisset. Deinde quaecunque intra quadraginta apparitionum IESU dies acta erant, ibidem breviter retulit, *priusquam* mandatum, de quo

quaestio hîc est, memoraret; atque inde haud sine causa cogimus, sectatores IESU proxime demum ante eius abitum mandatum illud accepisse.

2. Contendunt, IOHANNEM scribere non potuisse v. 2: *καὶ ἄλλοι ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ δύο.* Ipse, inquiunt, praesens affuit, nec credibile est, eum aut nescivisse, aut oblitum esse utriusque condiscipuli nomen [1]). Sed ut Viros Doctos suis ipsorum verbis redarguam, fidentur rogo, an credibile sit, falsarium scribendo: *καὶ ἄλλοι ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ δύο*, fraudem suam proditurum fuisse. Imo vero Euangelii auctor ita scripsisse videtur, ut a quinque discipulis illis interioris admissionis, duos homines, minus arcte cum IESU coniunctos, distingueret [2]).

3. Mirantur hîc non, uti Cap. VI. 11, memorari gratias a CHRISTO actas [3]). Sed hoc tantum mirari possunt, qui animadvertere negligunt, ibi exstare descriptionem coenae, hîc vero prandium verbo duntaxat attingi.

4. At, dicunt, annotatio v. 14 tamen a IOHANNE, probe sciente IESUM, post suum reditum in vitam,

---

1) LÜCKE l. c. T. II. p. 806.
2) Cff. quae scripsi supra, p. 33. Not. 1.
3) LÜCKE. l. c. T. II. p. 811.

iam saepius suis apparuisse, profecta esse nequit [1]). Quasi Euangelista omnia, quae sibi cognita essent, scripto mandare aut voluerit, aut debuerit! Imo ipse contrarium profitetur Cap. XX. 30. Sed v. 14 narrationi suae subiecit ad significandum, illam tertiam esse apparitionem IESU suo in libro memoratam [2]). Simili annotatione supra spectantur *ea, quae Euangelium continet;* nempe Cap. II. 11 et IV. 54, quorum locorum posterior nobis ostendit, quomodo prior etiam intelligendus sit.

5. Atqui, sic quaeritur, si IOHANNES huius Capitis auctor esset, nonne ea, quae leguntur Cap. XX. 30, 31, inde ad huius Capitis calcem transtulisset [3])? Sed haec quoque quaestio mihi minus gravis esse videtur. Veteres enim novimus valde difficiles fuisse in scriptione sua traiectionibus maculanda. Quid vero, si Euangelium in lucem iam exiit, priusquam hanc Appendicem auctor scripserat [4])?

6. Vernm, ita pergunt rogare, num hoc cum in-

---

1) PAULUS. l. c. LÜCKE l. c.
2) Cf. XX. 19 sqq. 26 sqq.
3) LÜCKE. l. c. T. II. p. 826.
4) Omnino conferendus est MEYERUS l. c. p. 287 sq. Vid. etiam GUERIKE. *Hist. Krit. Einl. in das N. T.* p. 311.

dole IOHANNIS congruit, ut invidiam, v. 21, a PETRO proditam, expresse proponat [1]? Respondetur haud temere, PETRUM omnino prodidisse curiositatem, invidiam vero non item; contra vero eum, *ut hoc quaereret, inductum fuisse amica cura de sorte condiscipuli futura* [2]. Praeterea tenendum est, hoc in Capite IOHANNI et PETRO plane eandem adscribi indolem atque alibi [3], et ambos hîc, ut alibi, una prodire [4].

7. Omnium maxime provocant ad v. 23, quippe quo perspicue indicetur, *mortuo demum* IOHANNE Euangelii Appendicem scriptam esse [5]. Sed valde dubito, num hoc iure suo inde cogant. Imo vero existimo, famam, IOHANNEM moriturum non esse, eo ipso vires acquisivisse eundo, quod ille tamdiu omnibusque superstes *in vita remaneret*. Iam Apostoli intererat, rumori illi se opponere, ne, si mortem obivisset,

---

1) LÜCKE. l. c. T. II. p. 826.

2) BREUNISSEN TROOST. l. c. p. 37.

3) Cf. v. 3, 11, 17, 20 et imprimis v. 7, ad quem recte notavit EUTHYMIUS: *Διορατικώτερος ὁ Ἰωάννης, θερμότερος ὁ Πέτρος*. Debilius est, quod monuit LÜCKIUS ad h. l.: Die Charakteristik der beiden Jünger hat *etwas Authentisches*. Cf. WIESELER. *Indagatur num loci Mrc.* XVI. 9—20 et *Ioh.* XXI. cet. p. 32.

4) Cf. BREUNISSEN TROOST. l. c. p. 36 sq.

5) Cf. BERTHOLDT. *Histor.-Krit. Einl.* T. III. p. 1326. SCHWEIZER l. c. p. 57. DE WETTE l. c. p. 301. LÜCKE l. c. T. II. p. 826.

homines IESUM veracem fuisse negarent. Propterea ipsa Magistri sui verba attulit, ut viderent, quam alienum in sensum ab imperitis perverterentur. Sic enim loquendo IESUS nihil definivit, sed *sumsit* tantum se velle, ut IOHANNES hac in vita adventum suum opperiretur. Neque ille aliquid definire potuit, quia intempestivae PETRI curiositati satisfacere nolebat.

Iam utriusque partis argumentis ponderatis, Cap. XXI. 1—23 IOHANNI auctori tribuendum esse censeo. Una superest quaestio, quidnam de v. 24 et 25 statuere debeamus. Utique haud ita multi sunt, qui eos a IOHANNE profectos esse credant [1]. Et sane non pauca manus alienae vestigia in iis apparent. Primum in memoriam revocetur, IOHANNEM de se ipsum in tertia, non vero in prima Persona, sive Singularis, sive Pluralis Numeri, loqui solere. Hac igitur difficultate premuntur verba *οἴδαμεν*, v. 24, et *οἶμαι*,

---

1) LANGE. *Leben Jesu.* WEITZEL. *St. u. Krit.* 1849. p. 597 sqq. REDDINGIUS l. c. p. 140 sqq. Ceterum duos hosce versus IOHANNI abiudicavit iam THEODORUS *Mopsuestenus.* Eos universe antiquis etiam offensioni fuisse, vid. apud LÜCKIUM l. c. T. II. p. 824. Not. 1.

v. 25. Ceterum οἶμαι etiam ἅπαξ λεγόμενον est in N. T. Deinde sequentia, utpote a more IOHANNIS aliena, animadvertantur: Verbum ἔστιν, in initio sententiae, sequente Neutro Plurali; coniuncta ἄλλα πολλά; vox ὅσα pro Pronomine relativo; formula καθ' ἕν; Pronomen αὐτόν per Verbum a Substantivo suo separatum. Nec praetermittatur Hyperbole ingrata et a simplicitate, quae scriptioni IOHANNIS vulgo inest, abhorrens v. 25 [1]).

At, dicunt LÜCKIUS, WETTIUS, alii, cum versibus praecedentibus, 1—23, uterque versus postremus tam arcte cohaeret, ut si illi genuini sint, hi spurii esse nequeant. Ego vero hoc assumere dubito [2]). Nam in ratiocinatione: *Qui scripsit v. 24, eidem praecedentia quoque debeantur necesse est* [3]), nihil aliud est, quam *petitio principii.* Res ipsa loquitur, manum alienam, quae v. 24 et 25 Euangelio adiiceret, seriem quamdam in orationem importasse, sed neutiquam tam arctus exstat nexus, ut, his versibus reiectis, praecedentes quoque, 1—23, reiici debeant. Ubi autem

---

1) Quomodo hanc difficultatem tollere conati sint, vid. apud LÜCKIUM l. c. T. II. p. 823. Cf. REDDINGIUS l. c. p. 148 sqq.

2) Cf. BAUR. l. c. p. 189.

3) LÜCKE l. c. T. II. p. 825.

quaeritur num credibile sit, Appendicem Euangelii desiisse in ea, quae leguntur v. 23, unum sufficere mihi videtur, quod respondeam, nempe credibile *non* esse, IOHANNEM v. 24 et 25 Appendici adiecisse. Nemo sane, ut exemplo utar, hanc admittet argumentationem: *Ultima Euangelii* MARCI *verba nequeunt esse ἐφοβοῦντο γάρ* (*Mrc.* XVI. 8); *ergo sequentia etiam, v.* 9—20, MARCUM *habent auctorem.*

Iam, penso quod susceperam absoluto, unum superest, quod disputatis adiiciam. Non is sum, qui IOHANNEM orationes IESU ad literam scripto mandasse credam. Sed spero tamen fore, ut hoc opusculum qualecunque ad fidem Euangelistae stabiliendam quodammodo inservire possit. Nam si quis sumit, verba, quae interpretatus sit, a IESU profecta non esse, eum veteratorem facit plane singularem

et ridiculum [1]). Atqui si vera sunt, quae supra in medium protuli, discipuli probitas in Magistri sui verbis conscribendis inde luculenter apparet, quod hic se illo inferiorem praestitit.

---

1) Cf. COLANI l. c. p. 35: Sur certains points, l'écrivain sacré attache une importance dogmatique à des détails tout à fait secondaires; il y trouve une verité cachée, il allegorise. Et p. 42: Tous ces phénomènes sont absolument inexplicables dans l'hypothèse qui fait de l'évangile une pure fiction. A moins qu'on ne veuille voir dans l'écrivain un faussaire tellement consommé ou un romancier tellement habile, qu'il ait introduit dans son récit ces inégalités, ces aspérités pour cacher sa fraude et dérouter la critique. REUSS l. c. T. II. p. 322: Ces exemples prouvent que l'auteur n'a pas inventé les paroles, qu'il met dans la bouche du Seigneur. Cf. Cl. SCHOLTEN in *Bijdr.* l. c. p. 148.

THESES.

I.

Falluntur omnino, qui interpretationem Librorum Sacrorum ad alias regulas dirigi iubent, quam interpretationem librorum exterorum.

II.

Dubitandum non est, quin *Gen.* XXII. 13 pro אַחַר legendum sit אֶחָד.

III.

Pro מְהֻלָּל, *Ps.* XVIII. 4, fortasse legendum est מֵהֹלֵל.

IV.

Vocabulum בַּמִּדְבָּר, *Ies.* XL. 3, coniungendum non est cum praecedentibus קוֹל קוֹרֵא, sed cum sequentibus פַּנּוּ דֶּרֶךְ יְהוָה.

V.

Vox חָקֹּת, *Ier*. XXXI. 35, eiicienda est.

VI.

Verba נִבְרְכוּ בְךָ כֹּל מִשְׁפְּחֹת הָאֲדָמָה, *Gen*. XII. 3, non continent promissionem Divinam, posteritatem per ABRAHAMUM verae religionis participem fore.

VII.

Formula עֶבֶד יְהוָֹה, *Ies*. LIII, describitur gentis Hebraeae, in exsilio versantis, pars Deo probata.

VIII.

Urbs *Tharschisch*, per SALOMONIS mercaturam nobilitata, eadem habenda videtur atque urbs Hispaniae *Tartessus*

IX.

Nihil agunt, qui ex locis nonnullis efficere conantur, Scriptores Novi Testamenti libris Apocryphis Veteris Testamenti usos esse.

X.

Coniecturae VALCKENARII, *Luc*. XXII. 31, pro Εἶπε δὲ ὁ Κύριος· Σίμων, Σίμων legendum esse Εἶπε δὲ ὁ Κύριος Σίμωνι· Σίμων, varia obstant argumenta.

XI.

Pro recepto ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ Πατρός, *Ioh*. I. 18, substituendum non est ὁ ὢν ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Πατρός.

XII.

Pro Imperfecto *ἐπυνθάνοντο*, *Act.* X. 18, Aoristum *ἐπύθοντο* legere scribendi vetat ratio LUCAE usitata.

XIII.

Si verba IESU, *Luc.* XXIV. 17, *καί ἐστε σκύθρωποι* vertendo reddimus: *en gij ziet droevig*, observamus proprietatem orationis variatae, in Literis Sacris aeque atque in populari sermone tritae.

XIV.

Verba PAULI, *Rom.* VIII. 11: *ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν*, figurate explicanda videntur.

XV.

Qui IESUM, *Mtth.* XVI. 18, Pontifici Romano principatum statuisse aiunt, verbis eius abutuntur.

XVI.

Omnibus veris nominis sui cultoribus IESUS, *Ioh.* XIV. 16, 17, eundem *Παράκλητον* atque Apostolis pollicitus est.

XVII.

Pantheismi nulla vestigia insunt verbis PAULI, *Act.* XVII. 28: *Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καί ἐσμεν.*

XVIII.

Parabola IESU *Luc.* XVI. 19 sqq. Ebionitismum non prodit.

XIX.

Ex Templo Hierosolymitano mercatores semel tantum a IESU expulsos esse puto.

XX.

Captivitas, quam PAULUS in Epistolis ad Ephesios, Colossenses et Philemonem memorat, Caesareënsis potius quam Romana habenda est.

XXI.

PAULUM Romae bis captivum fuisse, satis incredibile est.

XXII.

Inconsulte nonnulli optabile putant, ut antiquissima societatis Christianae facies hoc nostro tempore restituatur.

XXIII.

Calumniantur Instaurationem Sacrorum, qui inter prima eius semina odium fuisse clamant, quo Monachi Augustiniani Dominicanos prosequerentur.

XXIV.

Dicendi formula *Filium Dei se gloria coelesti abdicasse*, quum naturae humanae particeps fieret, ARII quidem doctrinae consentanea est, neutiquam vero usurpari potest a Theologis, qui eum eiusdem naturae ac Deum Patrem esse existimant.

XXV.

Trinitatis notio ecclesiastica in Literis Sacris frustra quaeritur.

XXVI.

Iesum christum hoc consilio in cruce mortuum esse, ut loco hominum vitiosorum satisfaceret Deo, Literae Sacrae nusquam docent.

XXVII.

Placitum multorum Theologorum, iesum post mortem ad inferos descendisse, neutiquam tuentur verba pauli *Eph.* IV. 9, 10.

XXVIII.

Quod ab antiquo dicunt *fidem donum esse Dei*, si recte explicatur, tantum abest, ut vitae morumque probitati noceat, ut ei insigniter prosit.

XXIX.

Audiendi non sunt, qui id fieri posse negant, quod *miraculi* nomine appellari solet.

XXX.

Deum, libertate hominibus concedenda, suam ipsius circumscripsisse praescientiam, absurdum est.

XXXI.

Minus probanda est sententia, homini libertatem tribuendam esse *volendi*, *agendi* vero non item.

XXXII.

Nihil sanctius habeatur et antiquius, quam id agere, ut hominibus magis magisque de eo persuasum sit, Religionis Christianae consilium totum esse practicum.

XXXIII.

Nugas garriunt, qui Deum precibus adeundum non esse perhibent.

XXXIV.

In rebus mediis Antistitis Sacrorum est ad vulgi placita se prudenter accommodare.

XXXV.

Oratori sacro summopere commendandum videtur, ut memoritur pro concione dicat.

ERRATA.

Pag.	8	Not.	3	: BRÜCKNERUS,	*leg.*	BRÜCKNERUS.
〃	9	reg.	7	: contradictione,	〃	contradictionem.
〃	80	〃	4	: hic se illo,	〃	ille se hoc.

C. C. L. B.

133688